

05

A

2030





REPERITUR IN

LIBRARIIS

Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



DR. JOHANNES...
22, Theob. D. &...
Halle, Anhalt...

05 A 2030

M. STEPHANO STERNERO

Faint text at the bottom of the page, including the date "Anno MDC XXXI" (1631).



PROOEMIUM.

Juvat exponere particulam ex Cap. 3. Prioris Petrinae, versum scilicet 20. cum sequenti, ubi Apostolus Fructum & Efficaciam S. Baptismi luculenter demonstrat.

Scopus totius capituli est, adhortari ad puritatem conscientiae
1. Uxores. Sicut Cap. precedente subditos & servos ad obedientiam & subjectionem Magistratui & Dominis exhibendam monuerat; ita nunc uxoribus mandat (1) Subjectionem & reverentiam erga maritos, v. 1. addita causa seu fructu illius cum reverentia conjunctae subjectionis, quae est conversio infidelium ad fidem salutarem, v. 1. & 2. (2) Deinde docet, qui Christianas conjuges deceat ornatus, quem proponit negativè, suadendo ne omnem cogitationem & curam ponant in ornatu & splendore, qui superbi ingenii index sit, v. 3. & affirmativè, opponendo externo splendori alium internum, v. 4. Hunc describit exemplis veterum sanctissimarum uxorum in genere, v. 5 & in specie Saræ, v. 6. quam introducit matrem omnium fidelium, illiusq; exemplo pias conjuges ad officium sponte suâ absq; terrore faciendum invitat, eod. v. 6.

Præmittitur
Analysis Lo-
gica totius
capituli.

Adeandem puritatem conscientiae hortatur Apostolus, 2. maritos, quibus vetat rigidam, duram, imperiosam & importunam tractationem, qua viri cæco impetu & furore ruunt in suas uxores, easq; inhumaniter tractant. Tribus utitur argumentis persuasivis. 1. à sexus infirmitate. 2. ab hereditatis gratuita aequalitate. 3. à precum mutuarum continuitate. v. 7.

A Particularibus præceptis transit ad officia omnibus Christianis communia, quos 3. hortatur ad puritatem conscientiae præcipiendo virtutes: concordiam, commiserationem, fraternam charitatem, misericordiam, affabilitatem, v. 8. patientiam in tolerandis calumniis & injuriis, argumento sumpto à summo DEI beneficio, qui nos inimicos suos dignos maledictione, per Evangelii anunciationem vocavit, ut ablata maledictione benedictionem, h. e. omnium caelestium bonorum hereditatem in nos conferret, v. 9. Propositam exhortationem

nem confirmat dicto Psal. 34. v. 13 ad 17. in quo eadem recensentur virtutes, v. 10. 11. addita consolatione & comminatione v. 12.

Quia verò illi qui bonum sectantur, nihilominus afflictionibus & persecutionibus expositi sunt, ideò 4. & hos, quibus propter justitiam aliquid incommodi accidit, hortatur ad puritatem conscientie servandam, sicut expressè addit v. 16. 17. Idg. 1. terrori hostili resistendo, v. 14. 2. Justitiam Domini agnoscendo, v. 15. 3. Ipsum intrepido animo confitendo, v. eod. 4. Immodestiam & importunitatem, quibus bona causa magis deformatur, fugiendo v. 16. 5. Christi exemplum imitando v. 18.

Ut autem Sancti cruci obnoxii, ejus difficultate non frangantur sed in puritate conscientie conserventur, admiscet consolationem, 1. à beatitudine certissimâ v. 14. 2. ab eventu crucis latissimo quem tacitè exemplo Christi proponit, cujus morti resurrectionem ad vitam adjungit, docens, nostrarum etiam passionum ad exemplum Christi, similem fore latum eventum, v. 18. 3. ab hostium confusione ignominiosissima, v. 19. 20. 4. à conservatione gratiosa, cujus edisserit typum, conservationem per arcam Noë factam, v. 20 & antitypum Baptismum.

Hujus recenset Efficaciam, salvare, seu esse causam salutis v. 21. effectum, stipulationem bonæ conscientie, v. eod. & fundamentum, seu causam meritoriam Resurrectionem Jesu Christi, ib. v. 21. Hujus exaltatione & gloriâ, quæ consistit in ascensione in cælum, & dominio universali concludit, v. 20.

Ex his ea saltem, quæ de Baptismo Apostolus v. 20. 21. habet, excerpere, Ac proin hac vice Efficaciam Baptismi contra Hæreticos ex presenti textu demonstratam sub disquisitionem revocare constitui. Quod ut εὐτάκτως fiat, tribus Articulis translationem totam inclusam proponam: Quorum I. Vocum evolutiones; II. Orthodoxie confirmationem, tribus Propositionibus: III. σοφισμάτων Adversariorum λύσις expediet.

Devolvor ad Patrem luminum, à quo omne bonum, DEUM Opt. Max. rogans singularem ejus mansuetudinem, ut librum signatum aperiat, verborum significationem, intelligentie lumen, dictorum honorem, veritatis finem tribuat, ad consortium Prophetici & Apostolici Spiritus ducat, & in omnem veritatem provehat, per Dominum JESUM CHRISTUM, Amen.

ARTI-

Transitio ad
presens insti-
tutum.

ARTICULUS PRIMUS,
Proponens
TERMINORUM SIMPLICIUM
(Ne eorum ambiguitate ludatur)
explicationem.

Textus 1. Pet. 3,

v. 20: Εἰς ἤν (κιβωτὸν) ὀλίγα, τὰ ἔστιν ὀκτὼ ψυχὰς διεσώθη. *Græcus.*
σαν δι' ὕδατος.

v. 21: Ὡς καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα (ὃ σαρκὸς
ἀπόθεσις ῥύπτῃ, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερωτήματα εἰς Θεὸν) δι'
ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.

In qua (arca) pauca, h. e. octo animæ servatae fue- *Latinus.*
runt per aquam.

Cui (figuræ) respondens Antitypus, Baptismus,
nos quoq; salvos reddit: (quo non carnis sordes abjici-
untur, sed quo fit ut bona conscientia bene respondeat
apud DEUM,) per Resurrectionem Jesu Christi.

Thesis I.

κιβωτὸς cistam, arcam significat. Hoc loco certum q. Indi *κιβωτὸς.*
viduum notat, illud nimirum, quod Noa tempore diluvii immit-
tendi, ex præscripto DEI ædificavit, in eoq; tempore cataclysmi
cum familia, & animantibus, quæ ipsum ingredientem sequeban-
tur, servatus fuit. Hujus structuram divinitus delineatam, & à
Noaho elaboratam, vide Gen. 6. v. 14. 15. 16. 22.

II. Ψυχὴ. Hoc loco non accipitur propriè (1.) pro anima *Ψυχὴ.*
rationali, quæ significatio aliàs Sacrae Scripturæ infrequens non
est, v. g. in N. T. Matth. 10, v. 28. Marc. 8, v. 36. &c. In V. T. Gen.
35, v. 18. 1. Reg. 17, v. 21. 1. Sam. 25, v. 29. Multominus (2.) ponitur
pro anima bruta, quam vegetativam & sensitivam nuncupamus,
quemadmodum Gen. 1, v. 21. Joh. 17, v. 10. Neque (3.) pro ipsa
vita, sicut Gen. 9, v. 5. requiram animam (vitam) de manu fratris.
Ex. 4, v. 19. Matth. 2, v. 20. Joh. 10, v. 15. ponere animam. Petere
pro anima sua, id est, vita, Esth. 7, v. 7.

III. Neque (4.) anima hoc loco idem est quod potentia

A 3

animæ,

animæ, affectus, appetitio, voluntas, mens &c. Sicut Exod. 23, v. 9. Scitis advenarum animas, id est, affectus. Gen. 34, v. 8. El. 5, v. 14. Infernus dilatat animam suam, id est, desiderium. Psal. 27, v. 12. non dabis me in animam hostium meorum, id est, ad libitum eorum. Exulare quoque jubetur (5) significatio animæ, pro corpore vivo, aut pro homine, sed potissimum ratione corporis, Sicut Job 31, v. 39. El. 58, v. 3. Lev. 26, v. 19. visitabo vos in ardore, qui consumat animas vestras, id est, corpora vestra, ut vertit B. Lutherus.

Anima hoc loco pro homine.

IV. Sed anima hoc loco sumitur Synecdochicè, pro homine, anima rationali & corpore constante. Probatur 1. ex loco primitivo, quem respicit textus præsens, Gen. c. 7. v. 7. & 13. c. 8, v. 16. ubi illi, qui hoc loco vocantur animæ, filii & uxores nuncupantur, adductis ipsorum nominibus Noa, Sem, Cham, Japhet cum uxoribus. 2. Ex ratione, Si enim DEUS solummodo animas ipsorum tempore diluvii servare voluisset, non opus habuisset mandato de ædificanda arca in qua salvarentur, siquidem è mediis aquarum gurgitibus Redemptori illas reddere potuissent. Voluit autem DEUS ipsos vivos anima & corpore superstites manere, unà cum animantibus & volatilibus, quæ cum ipso ingressa erant arcam, ut deletis hominibus pariter & animantibus reliquis de terra, semen retineretur, ex quo postea homines & animalia omnis generis propagari possent, nec abolerentur ipsæ species hominum & animantium. Hanc rationem DEUS ipse adducit, Gen. 7. v. 3. 3. Ex addito verbo *Νεώτερον*, quod propriè significat hominem in periculo constitutum liberare, & in vivis servare, de quo thesi VIII. Ex his liquet per animas hoc loco ipsos homines intelligendos esse.

V. Conungi potest, quod usitatum sit Scripturæ animam nominare, & hominem integrum intelligere. Exempla sunt ex V. T. Gen. 12, v. 5. animas (homines) quas genuerant. c. 14, v. 21. c. 17, v. 14. Gen. 36, v. 6. tulit Esau omnem animam domus suæ, id est omnes domesticos, servos, ancillas, eorumq; soboles. Lev. 2, v. 1. cum obtulerit anima (homo) oblationem. c. 4, v. 2. anima quæ peccaverit, id est homo. c. 20, v. 6. Psal. 11, v. 1. Psal. 30, v. 3. Psal. 107, v. 9. Psal. 120, v. 6. Psal. 143, v. 3. Jerem. 44, v. 7. Ezech

Ezech. 13, v. 19. Maximè illustris & nostro quam simillimus est
 Deut. 10, v. 22: *in animabus septuaginta descenderunt Patres tui in
 Aegyptum*, id est, tota progenies Jacobi non excedebat 70. homi-
 nes; Gen. 45, v. 27. In N. T. hæc occurrunt, Act. 2, v. 41. appositæ
 sunt animæ (homines credentes) circiter tria millia. Rom. 13, v. 1.
 omnis anima subjecta sit potestatibus, h. e. quisq; pareat Magistra-
 tui. Act. 27, v. 44. His nostrum quoq; locum annumerandum ju-
 dicamus.

V I. Ratio hujus Synecdoches potest esse hæc, quia anima
 nobilior est corpore. Cum enim homo duabus partibus con-
 stet, invisibili & visibili; illa verò preciosior sit hac, quoad quiddi-
 tatem, attributa & operationes, inde fit, ut ab anima tanquam no-
 biliori & potiori denominetur. In hunc ferè sensum Somnium
 Scipionis: *Non homo is est, quem forma ista declarat, sed mens
 cujusq; est is quisq;, non ea figura, quæ digito monstrari potest, &c.* In-
 telligi autem debet de hoc loco, aliàs etiam à carne & corpore ho-
 mo appellatur, ut Joh. 1, v. 14 & aliis locis ibi citari solitis

V II. *ὄντων* octò. De numero octonario dubium moverunt
 Græcæ religionis Christiani, statuentes plures quam nos credi-
 mus personas intra ipsam arcam fuisse salvatas, quando Noë fi-
 lias etiam & gêneros attribuunt, ut fecit Constant. Manass.

Τῶ Νωῆ δὲ συνέτω λέον υἱοὶ καὶ θυγατέρες

Γυνῆ, γυναικες τῶν υἱῶν νυμφιοὶ θυγατέρων.

Cum Noab navigarunt filii & filiae,

Uxor, uxores Filiorum, sponsi filiarum.

Quod ut obtineant, verba (*τῶν ὄντων*) in textum ab alia ma-
 nu velut declarationis gratia per parenthesis esse inserta asserunt.
 Crassius absurdum committunt Judæi, affirmantes, quod Ocus
 extra ad navigium evaserit a quas diluvii, quamvis non benè con-
 sentiant in illius persona & modo liberationis. Multi credunt
 proceritate corporis fretum enataste, alii contra arcæ ipsum ex-
 trinsecus inequitasse statuunt. Nos simpliciter acquiescimus cal-
 culo Divi Petri, quod octo tantum animæ per aquas servatæ sint.
 Major nobis est Scripturæ autoritas, quam ut Poëtæ alicujus testi-
 monio contrario, vel fabuloso aliquo commento everti possit.

V III. *Διασώζεν* est morte præsentissima liberare, ex peri-
 culo

ὄντων
 De numero
 octonario du-
 bium moverunt
 Græci & He-
 bræi.

Διασώζεν

culo evadere. Usurpatur de agonisantibus Luc 7, v. 3. Matth 14, v. 36. De periculo vitæ expositis, qualis erat Paulus à conjuratis occidendus, per sapiens tamen consilium Tribuni servatus, Act. 23, v. 24. ejus consortes, qui è medio naufragio salvi evadunt, Act. 27, v. 44. c. 28. v. 1. Lothus ab incendio Sodomitico servatus, Gen. 19. v. 19. Hoc loco pauci illi, qui ex familia Noahi, ex omni hominum multitudine à diluvio servabantur.

IX. Relativum ὡ v. 21. commodius videtur referri ad totum complexum, h. e. integram salvandi actionem per arcam in diluvio factam, quam ad proximè præcedens τὸ ἴδιον, juxta (1) Regulam: Relativa communiter referunt ea, quæ in totâ constructione antecedente præcesserunt; imò quandoque ea, quæ remotius distant, licet adsint propiora, ad quæ videri possint referri, ut in verbis coenæ: Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, Hoc facite, &c. (2) Exempla similia. Gen. 10, v. 12. Gen. 10, v. 13. 2. Sam. 20, v. 6. Psal. 99, v. 7. Joh. 8, v. 44. Act. 8, v. 26. 2. Thesl. 2, v. 9. Heb. 12, v. 17. &c.

ΤΥΠΟΣ
X. *Ἀντίτυπον* est id, quod per typum præfiguratur. Τυπὸς autem varias in Scriptura obtinet significationes. Notat enim vestigium, e. g. vestigium clavorum, cicatricem. Joh. 20, v. 25. Idolum, quod ad similitudinem DEI colitur, Act. 7, v. 43. Ideam seu figuram, ad quam aliquid elaboratur, Act. 7, v. 44. Heb. 8, v. 5. Exemplum, quod aliis imitandum proponitur, Phil. 3, v. 17. καὶ ὡς ἔχετε τύπον ἡμῶν. 1. Thesl. 1, v. 7. 2. Thesl. 3, v. 9. 1. Tim. 4, v. 12. Tit. 2, v. 7. Exemplum, in quo tanquam speculo videre est, quod pii præmiis, impii pœnis à DEO afficiantur, 1. Cor. 10, v. 6. Propriè verò Typus est, cum factum aliquod Veteris Testamenti ostenditur præsignificasse, seu adumbrasse aliquid gestum vel gerendum in N. T. Sic dicitur Rom. 5, v. 14. Adam est forma (τύπος) futuri (sc. Messiaë suo tempore in mundum venturi, h. e. Adam in quibusdam præfiguravit Messiam. Habent enim multum similitudinis Christus & Adam. Hoc sensu dicimus, Diluvium, seu conservationem Noahi per arcam tempore diluvii factam esse typum Baptismi per illam præfigurati.

Ἀντίτυπον

XI. *Ἀντίτυπον* itaque hic est, quod per typum præfiguratum fuit, ejusq; complementum; Ipsum corpus quasi est Novi Testamenti,

menti, quod umbris, typis & figuris V. T. præfigurabatur, non
verò typus similis, correspondens, succedens & idem significans,
etsi clarius quam veteres typi, ut volunt Calviniani. Sic Chri-
stus fuit antitypus Adami omnia illa, quæ in Adamo præfigurata
erant adimplens; & Baptismus est ἀντίτυπον conservationis per
arcam factæ. Quanquam non nesciremus ἀντίτυπον aliquando
pro ipso etiam typo opposito sumi Ebr. 9, v. 24.

XII. Σώζειν servare est, salvum reddere. Usurpatur de libe-
rationibus ex præsentis vitæ incommodis, qua in parte eandem
cum composito Ἀποσώζειν (de quo thes. 8.) significationem
obtinet. Sic de sanatione à morbis Matth. 9, v. 21. Matth. 27, v.
42. Johan. 11, v. 12. Act. 14, v. 9. De aliis periculis Matth. 8,
v. 25. c. 14, v. 30. Joh. 12, v. 27. Act. 27, v. 31. In hoc autem dif-
fert à composito suo, quod istud nascitur in N. T. de spirituali sa-
lute, hoc vero sæpissimè dicatur. Notat enim σώζειν præter a-
ctum salvandi corporalem etiam spirituales, & quidem 1. re-
demptionem vel remissionem à peccatis seu justificationem,
Matth. 1, v. 21. Act. 2, v. 40. Act. 15, v. 1. & 11. 1. Cor. 15, v. 2.
Rom. 10, 9. 2. In vitam æternam translationem & plenam glo-
rificationem Matth. 10, v. 22. c. 24, v. 13. & 22. Joh. 3, v. 17.
Rom. 5, v. 10. 1. Cor. 1, v. 18. 1. Tim. 2, v. 15. Baptismus itaq;
dicitur σώζειν servare hoc loco, partim peccata remittendo,
Confer Zach. 13, v. 1. Act. 22, v. 16, 1. Cor. 6, v. 11. partim bea-
titudinem æternam donando, Marc. 16, v. 16. Tit. 3, v. 5.

XIII. Βάπτισμα. Et hæc vox ambigua est, & in varias si-
gnificationes rapitur. Quandoque notat metaphoricè immer-
sionem in crucem seu afflictionem, Matth. 20, v. 22. Marc. 10,
v. 38. Luc. 12, v. 50. Scripturæ enim familiare est comparare af-
flictiones gurgitibus aquarum, quibus veluti merguntur, qui mi-
seriis & calamitatibus hujus vitæ conflictantur; ita tamen mer-
guntur, ut rursus emergant. Metaphoricè etiam sumitur pro
tinctura, seu lotione Spiritus Sancti per suas gratias, ut quando
Christus dicitur baptizare Spiritu Sancto & igne, qualis impri-
mis fuit effusio donorum Spiritus Sancti super Apostolos modo
visibili facta, Luc. 3, v. 16. Interdum pro miraculoso transitu
Israëliitarum per mare rubrum, quæ acceptio semel tantum oc-
currit,

Σώζειν.

Βάπτισμα.

B

currit,

currit 1. Cor. 10, v. 2. Sæpius quamvis lotionem indigitat, Marc. 7, v. 4. dicuntur βαπτισμοὶ ποτηρίων. Hujus generis fuere lotiones Israëlitarum divina lege ipsis traditæ, de quibus Heb. 9, v. 10. Nos hoc loco illam amplectimur, quæ in scriptis Evangelistarum & Apostolorum frequentissima est, & primum N. T. Sacramentum, videlicet intinctionem hominis in aquam, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti ad remissionem peccatorum & salutem factam, disertè notat. Deduco hoc inde, quia huic competant, quæ in his verbis Baptismo tribuuntur, quod salvet, & stipulatio sit bonæ conscientiæ, de quibus in sequentibus.

*Typi & anti-
typi conveni-
entia.*

XIV. Hic ergo Baptismus ἀντίτυπος est conservationis à diluvio per arcam factæ, & per hanc fuit præfiguratus. Membra computationis & similitudinis possunt esse sequentia. Diluvium à DEO hominibus est immissum Gen. 6, v. 7. & Baptismatis diluvium DEUS instituit, præparavit. *Psal. 29. vers. 9.* Diluvium est aquarum per fenestras cœli effusio: In Baptismo fenestras misericordiæ aperit Dominus, & salutem gratiæ imbrem demittit. Quemadmodum omnes homines in mundo ante diluvium viventes aquis diluvij & morti corporis expositi erant & absorbebantur qui arca Noæ non adhærebant & inhærebant; qui verò in illa, servabantur: Eodem modo omnes homines æternæ morti tanquam diluvio omnibus propter peccata imminenti expositi sunt, qui poenitentiam non agunt, qui se ad Christum æternæ vitæ ac salutis arcam non convertunt, qui per Baptismum tanquam saluferam aquam, & in Ecclesia, tanquam in suffocabili arca, à diluvio peccatorum non præservantur, & Christi merito & sanguine à peccatorum sordibus non abluuntur. Qui verò per Baptismum hujus participes redduntur, ad vitam æternam conservantur. Quemadmodum in universali illa inundatione, DEUS mundum quasi purgavit & renovavit, cum impios homines & animantia viventia submergeret, & Noahum justum cum suis in arca vivum conservaret: ita quoque Christus mediante Baptismo veterem nostrum hominem suffocat, & novum creat, quem ad vitam æternam conservet. Quemadmodum Noa in arca aquis diluvij circumdatus per arcam à morte liberatus à diluvio aquarum salvus emerit: ita omnes cre-
dentes

gentes in Baptismo à diluvio peccatorum, quo antea submersi & obrutierant nitidi & mundi coram Deo emergunt, nempe renati ex aqua & spiritu. Sicut diluvium non modo adultos, sed etiam infantes absumsit; ita per Baptismum non solum adultorum, sed etiam infantum peccata abolentur.

XV. Huc respexerunt dicta Veteris Testamenti Psal. 29, v. 10. sedet Dominus ad diluvium. De diluvio propriè dicto, hoc est, universali totius mundi inundatione dictum accipi nequit: Hæc enim cum ex ipsius Dei promissione amplius metuenda non sit, Gen. 9, v. 11. de diluvio spirituali, Baptismo nimirum intelligendum venit. Psal. 46, v. 4. mentio fit rivulorum fluminis latificantium civitatem Dei. Inter has locum habet Baptismus, fons ille salutis, à peccatorum sordibus abluens, Eph. 5, v. 26. sicut spirituales restinguens, Esa. 44, 3. & in æstu tentationum recreans, 1. Pet. 3, v. 21.

XVI. *ἡ σαρξὸς ἀποθέσις ῥύπτου*) Non carnis depositio sordium. Caro h. l. pro corpore solo sumitur, quod patet ex oppositione *συνειδήσεως ῥύπτου* juxta Etymologos significat sordes, quæ colliguntur sub unguibus digitorum, vel quæ absterguntur à cute in balneis per sudores: apud Aristophanem. Plutarchus usurpat vocem de sordibus, quæ adherent oris vestium aut calceamentorum. Quæ solent aquis abluï & renovari. Hoc officium negat Apostolus esse Baptismi proprium. *Ἀποθέσις*, abjectionem, abjectionem significat, puta vestium, vitæ &c. 2. Pet. 1, 4. Act. 7, 58. & per metaphoram, pravæ consuetudinis, Jac. 1, v. 21. *ἀποθέμενοι πᾶσαν ῥύπτου εἶαν* 1. Pet. 2, 1. Eph. 4, 22. 25. &c.

XVII. Nuncupatur Baptismus aliàs lavacrum aquæ in verbo, Eph. 5, v. 26. lavacrum regenerationis Tit. 3, v. 5. Circumcisio sine manibus, Col. 2, v. 11. & in præsentî Petrino, *ἑπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς Θεόν*, interrogatio seu stipulatio bonæ conscientiæ ad Deum ab effectu. Est enim Baptismus solennis quædam conventio, confœderatio & mutua obligatio, qua Deus suam gratiam homini offert, eamq; illi obsignat, ut de ea certus sit: Vicissim autem conscientia mundata lavacro aquæ in verbo, de gratia Dei certior jam reddita, stipulatur se credere remissionem peccatorum, & ad obedientiam se Deo obstringit.

B 2

Significat

*ἑπερώτημα
ἀγαθῆς συν-
ειδήσεως εἰς
Θεόν.*

Significat enim vox Græca non solum interrogationem & postulatum quale fit ab alio erga nos, sed etiam sententiam, conclusum, stipulationem quam nos alteri damus. Sic conclusum, decretum sacrorum vigilum in Nebucadnezarem, appellatur ἐπιτάφημα Danielis 4, 14. Chald. ܢܒܘܕܢܥܙܪܝܢ. Hoc loco denotant sententiam nostram de favore Dei erga nos, patet ex Termino fiducia, seu bonæ conscientia nostræ, εἰς Θεόν. Quem sensum Pagninus, Varabius, & Lorinus Papistæ, non inficiantur. Est medium habendi bonam conscientiam per fugam vitiorum, eorum requirant quod neque nos negamus. Est itaque stipulatio bonæ conscientia ad Deum, qua Deus se nostrum Patrem fore promittit, & quo vicissim stipulamur, nos credituros, quod Filij Dei sumus, & Patrem habeamus propitium per fidem in Filium ejus Jesum Christum, & tanquam Dei filios in vitæ novitate & integritate perpetuò victuros, & quasi à morte excitati, mortua mundi & carnis opera relicturos.

XVIII. *ἡ ἀναστομωσις ἡμεῶν Χριστοῦ* Causa meritoria salutis nobis in Baptismo collata & ob signata exprimitur. Ubi per Synecdochen sub Resurrectione Christi comprehenditur ejus mors & passio, qua sumus DEO reconciliati. His scilicet salus, & gratuitum DEI foedus quod DEUS nobiscum in it in Baptismo, nobis constat, qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, Rom. 4, v. ult. confer Phil. 3, 10. Colof. 2, 12. 1. Pet. 1, 3.

Hac de Primo,

sequitur

ARTICULUS SECUNDUS,

Exhibens

Κατὰ θεοῦ, hoc est, Sententiæ Orthodoxæ de salutari Baptismi Efficacia, confirmationem.

PROPOSITIO PRIMA:

Baptismus ad salutem est necessarius.

Nostra sententia de Necessitate Baptismi proponitur.

XIX. De necessitate Baptismi ita sentimus, quod illo ad Remissionem peccatorum consequendam, iram Dei avertendam, & ingressum ad regnum eorum seu salutem promovendam homo pecc-

mo peccator ordinariè nequaquam carere possit. Postquam enim peccati originalis labe contaminati in hunc mundum nascimur, eo ipso aditus regni cœlestis obstruitur, opus itaque habemus Baptismo, quo ille referatur. Et quemadmodum necesse est carnaliter hominem nasci ex Patre & matre, priusquam ingrediatur in vitam hanc corporalem; eodem modo ut quis introeat in vitam illam æternam & regnum Spirituale, necesse est prius Spiritua iter renascatur, quod fit per Baptismum, Job. 3, 3.

XX. Qua in parte recedimus ab illis, qui pro extenuanda Sacramenti hujus dignitate, hodiè minimè necessarium esse contendunt, fuisse autem à Christo institutum, ut externa illa ceremonia in auspicio Novi Testamenti de vera ad Deum conversione, & interiore, ablutione à peccatis homines admoneretur, exindeque Baptismum non pro ordinario ac perpetuo N. T. Sacramento, sed solum pro Ceremonia temporaria habent.

XXI. His opponitur sententiam nostram de Baptismi necessitate, quæ cum fundata sit in dicto nostro Petrino, eam ex-textu, inde demonstramus hoc argumento:

Per quodcumque ordinariè salvamur, illud necessarium est omnibus quotquot æternæ vitæ hereditatem sibi obtingere exoptant, & per consequens non est ceremonia temporaria, sed perpetuum & ordinarium Sacramentum.

At quis per Baptismum ordinariè salvamur?

Ergo Baptismus necessarius est omnibus, quotquot æternæ vitæ hereditatem sibi obtingere optant, & per se consequens est perpetuum Sacramentum, non nuda ceremonia temporaria.

XXII. Major probatione non indiget, cum cuivis constet, eam esse necessitatem mediorum appropriatorum, ut non nisi illis adhibitis finis obtineri queat, juxta axioma Philosophorum: *Qui enim vult finem, velit etiam media ad finem ducentia necesse est.* Finis omnibus propositus est salus & vita æterna. Huc tendimus per totum vitæ curriculum. Observatu itaque necessaria nobis sunt media ad hunc finem ducentia, qualia sunt usus Sacramentorum, & (de quo specialitèr hoc loco loquimur) Baptismi.

XXIII. *Minor*, quod scilicet ordinariè per Baptismum sal-
vemur, hoc est, quod eo fine sit institutus B ptismus, ut sit me-
dium ordinarium perveniendi ad salutem, Probat *ex textus 1.*
claris verbis, siquidem hoc loco ad literam scriptum est, quod
Baptismus salvet: Quod & nos similis formæ salvos facit Ba-
ptisma. 2. *Ex Scopo Apostoli*, qui hac de causa instituit com-
parationem, inter conservationem per arcam factam à diluvio,
& Baptismū, ὡς ἄντιτυπον ἡμῶς σωζῆται: q. d. Tum necessarius est in
N. T. Baptismus omnibus ad salutem, quam uecessaria fuit olim
tempore diluvij arca ijs, qui per diluvium perire volebant. Jam
verò arca summè atque unicè erat necessaria illo tempore, ut
(testante historia Mosaica) nisi octo illæ animæ ingressæ fuis-
sent arcam, simul cum reliquis periissent; Concludimus ergo,
Baptismum eodem modo esse necessarium, & non nisi cum
præsentissimo periculo salutis æternæ negligi aut intermitteri posse.

*Confirmatur
aliis testimo-
niis.*

XXIV. Robur addunt huic nostræ sententiæ testimonia
homogenea. Suntq; tum Christi severa asseveratio, quæ in-
star commentarij se habet ad nostram Propositionem, quando
Christus inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non
potest ingredi regnum cælorum, Job 3, v. 5.* Postquam enim Ni-
codemus à Christo viam salutis sibi demonstrari petiisset, pri-
mum ad eam aditum & velut januam aperit, scilicet de Baptismo,
per quem regeneramur instruit, ejusq; necessitatem & utilitatem
proponit; Tum Circumcisionis necessitas, *Gen. 17, v. 14* Tum
repetitum Christi mandatum *Matth 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. 16.*
quo sanè opus non fuisset, si absque Baptismo homines salvati
potuissent: Tum fructus finesq; Baptismi Propositione II. e-
numerandi; Tum denique Exempla Judæorum Hierosolymis
congregatorum, *Act. 2, v. 38.* Et, quid ipsis faciendum, h. e. ad
salutem necessarium sit? quærentium, qui ab Apostolo ad pœni-
tentiam & Baptismū remittuntur, Similiter Paulus idem quærens,
à Domino ad Ananiam, & ab Anania ad Baptismum remittitur.
Act. 9, v. 18. Confer cap. 8, v. 17. c. 10, v. 46. c. 22, v. 16.

XXV. Immutata igitur manet Conclusio, Baptismum ad sa-
lutem esse necessarium. Immutum Consequens, Si enim non
datur alia via ad salutem præter Baptismum, ultrò sequitur, illum

NON

non esse ceremoniam exigui tantum temporis, quæ in auspicio
solum N. T. homines de vera ad DEUM conversione, & inte-
riore à peccatis ablutione admonere debuisset, sed esse perpetuum
& ordinarium N. T. Sacramentum, quod tamdiu durare debet
in Ecclesia, donec superstites sunt homines qui illo indigent, hoc
est, usque ad finem mundi.

XXVI. Sciendum tamen, quando de necessitate Baptismi ad
salutem loquimur, non hoc velle, ac si absque illo nemo unquam
salvari possit, sed cum hac limitatione acceptum volumus, ut ca-
sus extremæ necessitatis excipiatur, in quo usum Sacramenti non
contemptus religionis, sed articulus necessitatis intercipit & ex-
cludit, quando Deus ipse baptisandum, non baptisandus sese sa-
cramento surripit. Tunc enim valere dicimus illud. Non de-
fectus sed contemptus Sacramentorum damnat.

XXVII. Nam cum ea quæ in ordine causarum & medio-
rum ad salutem necessaria sunt, in duplici sint differentia, quæ-
dam absolutè & simpliciter talia, e. e. Gratia Dei, meritum Chris-
ti & Fides, ut dans & Accipiens: sine quibus in statu naturæ cor-
ruptæ nemo unquam salutem sibi polliceri potest; quædam vero
ordinate & conditionaliter ad salutem necessaria, in communi
ordine instrumentorum applicantium, ex ordinatione Dei ta-
lium, qualia sunt verbum & Sacramenta: Baptisimum classi huic
posteriori annumerandum esse, quivis facile videt. Quando
enim ille adest, & adhiberi potest, nequaquam negligendus est,
sed propter mandatum DEI & commodum nostrum, exemplo
omnium piorum adhibendus; Quando autem ex dispositione
divina non adest, nec adhiberi potest, tunc DEUS nolens quem-
piam ipsius culpâ perire, sine illo in casu necessitatis à se impositæ,
extraordinariè & vel immediatè ut in infantibus, vel mediatè per
verbum absque Sacramento (ut in adultis) operatur fidem, do-
nat justitiam & salutem æternam, ut patet Exemplo Baptistæ,
Luc. 1. v. 44. & Latronis conversi, Luc. 23. v. 40.

XXVIII. Quapropter necessitas Baptismi ita est asserenda,
ne tamen DEUS stricta rigiditate seipsum alligasse, aut gratiam
citra præsentiam hujus instrumenti planè negasse dicatur. Non
enim ex parte DEI Baptisimus est necessarius, qui absq; Baptismo
curâ.

*Baptismi ne-
cessitas non
est absoluta.*

cum iis qui summæ necessitatis casu excluduntur & agere vult & agere potest; sed tantum ex parte nostri, qui eum, quando possumus administrare tenemur. Quo pertinet observatio illa, quod Christus cum dixisset *Mar. 16. v. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: in antithesi nequaquam dixerit: Qui verò non crediderit nec baptizatus fuerit, sed omisso posteriore, Qui vero non crediderit, condemnabitur*, innuens sc. Baptismum non esse absolutæ necessitatis, ut sine eo etiam in casu necessitatis nemo salvus fieri possit.

XXIX. Huc ergo redit nostra sententia, quod Baptismus adeò sit necessarius ad salutem, ut extra necessitatis casum nemo salvetur, nisi baptizatus.

*Exceptiones
Photiniano-
rum.*

XXX. Huic veritati cœlesti minimè consentanea est Photinianorum doctrina, qui docent, non esse omnibus qui Christi discipuli esse velint, peræquè & in perpetuum Baptismum suscipiendi præceptum datum, & ob eam rem posse quempiam & nominari & reverà esse Christianum, licet aquæ Baptismum vel nunquam, vel non ritè, cum tamen posset, acceperit. Vident autem se fortitè à Petro loco præsentis constringi, ideoq; dictum clarissimum eludere allaborant, nostræq; demonstrationi quasdam exceptiones opponunt.

*I. non agi hoc
loco de Ba-
ptismo aquæ.*

XXXI. Excipiunt enim ad Minorem argumenti th. 21. prolati I. negando, quòd hoc loco de Baptismo aquæ agatur, aliud enim Baptismi genus, metaphoricum videlicet intelligendum esse, ita quidem ut aquis diluvij in hac comparatione non Baptismus aquæ, sed mala, quibus cœlitus demissis homines obruantur, respondeant. *Ut enim* (verba sunt Fausti Socini c. 12. de bapt. aquæ) *tunc temporis arca illa octo illas animas, cæteris omnibus pereuntibus, in medio aquarum, quas DEUS ad scelestos homines puniendos terris immiserat, conservavit; sic hodie Baptismus, baptismus iuquam, non quo corporis sordes eluuntur, sed conscientia ab operibus mortuis expurgatur, nos in medio omnium malorum, que DEUS ad impiorum hominum scelera vindicanda orbi terrarum emittit & immissurus est, perpetuò & conservat & conservabit. Possunt enim mala & calamitates etiam in hac parte aquis illis optime respondere, si dicatur aqua beneficio octo illas animas in arca*
conser.

conservatas fuisse, aqua scilicet arcata sustollente: Siquidem calamitates impios quidem obruunt ac deprimunt, pios vero servant atq; extollunt, dum per eas & à mundi vellecebris retrahuntur, probatq; ut Paulus ait (Rom. 3, v. 2. 3.) divina gloria spe aluntur ac confirmantur, & quanta sint virtute pradi, quamq; ceteris omnibus praesent, manifestum faciunt.

XXXII. Respondeo 1. Quod vox Baptismi quandoque notet Baptismum crucis seu afflictionem non negamus, sed exemplis quibusdam supra th. 13. laudatis ipsi evicimus; eandem vero & hoc in loco esse vocabuli significationem non concedimus, idq; ex hac ratione, quia (1) ne minima ratione contextus expositio illa probari potest, sed quandoquidem vox Baptismi hic absolute ponitur, nec in contextu limitari ab Adversariis probari potest, jure proprietatem linguae tenemus, & aquae Baptismum intelligimus. 2. Quandoquidem in comparationibus iidem Termini, per analogiam fidei retineri possunt, comparatio eo melius quadrat, quam si termini omnes sint Metaphorici. Et praesumitur Autor quivis, voluisse quam appositissimam comparationem instituire: At hoc loco eadem materia instrumenti salvifici, scilicet aqua in diluvio, aqua in baptismo non solum retineri potest, sed ex judicio Apostoli (ὡς Ἀντίτυπον) retineri debet. Ergo praeferrí nullo modo potest, Apostolum in comparationis protali aquas naturales, in apodosi aquas allegoricas voluisse intelligi. 3. Quoties vocis Baptismi & baptisandi in sacris literis absolute (ut hoc loco) fit mentio, toties in propria significatione eam accipi necesse est, donec ex textu evidens possit ostendi ratio, quod in metaphorica aliqua significatione debeat accipi. Econtra, quoties vox haec metaphoricè, v. g. de Baptismo crucis accipienda, ubiq; vel additur expressè, ut *Marci 10, v. 39. futurum est ut baptizentur Baptismo crucis filij Zebedaei:* vel adjicitur particula poculi seu calicis, ut *Matth. 20, v. 22. quam Christus ipse de passione interpretatur Matth. 26, v. 39. Luc. 22, v. 42;* vel ex contextu statim apparet, ut *Luc. 12, v. 50.* 4. Hoc loco vero ne minimum quidem vestigium. Si urgeatur allata comparatio, & contorta illa est, nec habet fundamentum in re. Non enim videndum qua ratione, textus explicari & applicari possit, sed quid Spiritus Sanctus, &

C

ipsius

ipſius organa Prophetæ & Apoſtoli intendant. Qua in parte noſtra potius eſt præferenda. Illud enim Baptiſma nos ſalvat quod eſt ἀντίτυπον arcæ Noë in aquis natantis, quod eſt ſtipulatio bonæ conſcientiæ, id quod de nullo alio, quam aquæ Baptiſmo dici poteſt.

XXXIII. Vidit hoc Socinus, ideoque prorsus negare non audet, Apoſtolum de Baptiſmo aquæ hoc loco agere, Sic enim ait: *Neg, tamen prorsus negaverim, Petrum in hac ſimilitudine afſerenda & explicanda aquæ ipſius, quæ in Baptiſmo miniſtratur, aliquam rationem habuiſſe, non, quòd in ipſa aqua huius ſimilitudinis partem ullam revera conſtituerit, ſed quòd ad ipſam duntaxat alluſerit, ut aqua nimirum cum aqua conferretur.* R. Imò vero non alluſit modo, nec aliquam ſaltem rationem Baptiſmi aquæ habuit Apoſtolus, ſed omnem omninò ſimilitudinis partem in eo conſtituit, & unicè efficaciam Baptiſmi aquæ demonſtrandam ſibi ſumit, ex neceſſitate & efficaciâ aquarum diluvij. Tanta viſ eſt veritatis, ut Adverſarius invitus licet eandem concedere neceſſe habeat.

2. non ſervare
Baptiſmum,
quatenus in
eo fit bonæ
conſcientiæ
interrogatio.

XXXIV. Excipiunt 2. Falsum eſſe, Baptiſmum aquæ nos ſervare, quatenus in eo fit bonæ conſcientiæ interrogatio. Socin. l. citat. *Poteſt enim fieri, ut in aquæ Baptiſmo ſuſcipiendo fiat interrogatio illa, nec tamen is Baptiſmus ſuſcipientem ſervet, quippe quia in ea interrogatione, ex qua ſalus proficiſcitur, non perſeveravit. Non igitur Baptiſmus in quo aqua miniſtratur, ſervat nos quatenus eam interrogationem continet: ſed ipſa interrogatio nos ſervat. Durat enim Baptiſmus ille etiam ſi ceſſet interrogatio. Nam ſemel ritè ſuſceptus aquæ Baptiſmus (ut Adverſarii volunt) nunquam aboletur, ſed ſi interrogatio ceſſaverit, quomodo quaſi interrogatio ipſa durabit?*

XXXV. Resp. Vana Exceptio. Baptiſmus enim eſt cauſa Inſtrumentalis offerens gratiam Dei, Remiſſionem peccatorum & ſalutem æternam ſicut & verbum, quæ ut apprehantur à fide accipiente, ſi ſalvare debeant, neceſſe eſt. Baptiſmus itaque ſalvat ex parte inſtituentis, & normâ inſtrumenti appropriati, ſed limitate quoad nos ſi maneamus in fide vera, *Marc. 16. v. 16. Col. 2, v. 12. Ebr. 10, v. 22. & vita ſincera: obligamur enim ad iuge Deij obſe-*

obsequium, quotquot baptizatur. Testis est Paulus Rom. 6, v. 1.
Quid igitur dicemus? manebimus in peccato, ut abundet gratia?
v. 2. Absit: qui mortui sumus peccato, quomodo posthac vivemus in
eodem? v. 3. An ignoratis, quod quicumque baptizati sumus in Chri-
stum Jesum, in mortem eius baptizati sumus? v. 4. Sepulti igitur su-
mus una cum illo per Baptismum in mortem, ut quemadmodum exci-
tatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate
vitae ambulemus, &c. Qui hoc ipsum negligunt, illi omnino
damnantur, etiamsi baptizati fuerint, non ex defectu officij aut
efficaciae baptismi; sed ex in dispositione subjecti recipientis scili-
cet ex sua ipsorum incredulitate. Atque sic cadit Exceptio Ad-
versariorum, nec ulla falsitas in verbis Petrinis orthodoxè expli-
catis, deprehenditur. Addo: Non dicimus, hoc loco quod inter-
rogatio præcisè non salvet, sed quod Baptismus, qui habet hunc
usum, ut sit interrogatio, id est, certificet de salvatione.

XXXVI. Eodem modo 3. Excipit Smalcus, quo Socinus.
Dicit quidem, salvare nos Baptisma, id vero non esse depositionem
sordium carnis, h. e. non istum aquæ Baptismum, sed conscientiae bo-
nae interrogationem in DEUM per Resurrectionem Jesu Christi, &
tamen contra mentem & verba Petri protrahitur hoc ad Baptismum
aquæ, quæ sine interrogatione bonæ conscientia, ut hæc rursus sine Ba-
ptismo aquæ omnino esse potest. Resp. Concedimus quod ritus
externus sæpè sit sine salutari usu, nimirum in incredulis & in illis,
qui à vitiis non desistunt: hanc ob causam in jactatione externi
saltem ritus non acquiescendum piis, sed altius assurgendum esse,
ipsi dicimus: Adversarius verò committit paralogismum, fin-
gendo, ac si nos constituamus officium Baptismi in ablutione
sordium corporis, cui officio ille opponit abulitionem sordium
conscientiæ. Sed antecedens est falsum, igitur Exceptio seu op-
positio ejus merum figmentum manet. Sola ablutio externa non
est Baptismus, aliàs daretur duplicitas Baptismi cum Calvinianis.
Ex parte Dei & natura Baptismi sequitur salutari usus, est im-
peditus: Ab incredulis intervertitur, licet salubri intentione col-
latus, ut fusius deducitur Th. 37. & 51. Qualis vero conse-
quentia est: Fiducia bonæ conscientia, extraordinariè &
nonnunquam esse potest, citra acceptum Baptismum aquæ.

3. non agi de
Baptismo
aquæ.

Ergo Baptismus aquæ non est medium ordinarium generandæ
fiduciæ?

PROPOSITIO SECUNDA

Baptismus est efficax medium Regenerationis
& Salutis.

*Baptismus est
efficax me-
dium regene-
rationis &
Salutis.*

XXXVII. Ita omni tempore purior docuit Ecclesia. Cum enim Baptismus non sit simpliciter aqua, sed aqua verbo DEI comprehensa, sanctificata ac unita, ideò non adhibetur eo fine, ut corporis sordes abluat, quo fine communis aqua affundi solet, sed est divinum ac salutare medium, atque organum, per quod Sacrosancta Trinitas efficaciter ad salutem hominis operatur.

XXXIX. Sententia hæc probatur ex præsentis textu Petri no dupliciter. 1. Urgemus denuò clara verba, quando Apostolus ait: Quod & nos similis formæ *ὡς* salvos facit Baptisma. Ubi notandum, quod vox hæc salvare seu salvum reddere ambitu suo complectatur & includat totam Efficaciam Baptismi, omnesq; ipsius effectus, regenerationem, Remissionem peccatorum, salutem & vitam æternam. 2. Idem infert comparatio Baptismi cum conservatione diluviana, quâ Apostolus hoc vult innuere: Quemadmodum tempore diluvij Noa cum familia conservabatur & salvabatur à periculo inundationis corporali; ita Baptismus salvat homines baptizatos à periculo spirituali & æternali.

XXXIX. Hinc tale prodir argumentum:

*Quodcumq; salutem confert, à præsentis interitu illud est effi-
cax medium salutis.*

Baptismus confert salutem à præsentis interitu:

*Ergo est efficax medium salutis, & per consequens etiam re-
generationis, quia illa hanc præsupponit.*

Antecedens Majoris membrum ut rectè intelligatur, ita li-
mito: Quodcumq; salutem confert, sc. per modum causæ Instru-
mentalæ. De eo enim jam loquimur, uti vocabula illa organum,
medium &c. monstrant. Probatum illa, quia formalis ratio salu-
taris instrumenti consistit in eo, ut expediat id, ad quod à princi-
pali mittitur & regitur. Baptismum autem ad id divinitus esse in-
stitutum ut salvet, vel salutem conferat, ex dictis pariter & dicen-
dis constabit.

XL. Quo-

XL. Quomodo autem salvet Baptismus, & qua ratione id *Modus Sal-*
fiat, ulterius ex Scriptura inquirendum restat, quæ docet Bap-*tionis per*
tismum salvare *i. eatenus, quatenus est medium regenerationis.* Sic Baptismum
enim Christus *Job. 3, v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spi- i. regene-*
ritu, non potest introire in regnum DEI. Ex quibus verbis sensu *undo,*
tamen contrario sequitur, quod qui baptizantur ex aqua & Spiri-
tu renascantur & consequenter possint & debeant ingredi regnū
coelorum. Siquidem per Baptismum tanquam spiritualem nativi-
tatem ad vitam animæ & bona cœlestia renascuntur, nō aliter at-
que per naturalem nativitatem homines nascuntur ad hujus vitæ
usuram. Ita Paulus: juxta misericordiam suam salvos nos fecit
per lavacrum regenerationis, Tit. 3, v. 5. Umbram quandam hu-
jus rei ostendit Vetus Testamentum, quando aquæ subter limen
domus D. I. egressæ, quicquid contigerant, sanasse ac vivificasse
dicuntur, *Ezech. 47, v. 9.* Hanc ob causam Baptismus veteribus
fons divinus, quo fideles in novam creaturam regenerantur, di-
ctus fuit.

XLI. Salvat Baptismus *2. quatenus est efficax medium remis- 2. peccato-*
sionis peccatorum, sicut scriptum est de Baptismo Johannis, *Lucæ rum remissio-*
3, v. 3. Marc. 1, v. 4. Johanes baptizavit & ptædicavit Baptismum nem operado.
penitentiae *in remissionem peccatorum;* & reliquorum Apostolo-
rum, qui clamantes introducuntur, penitentiam agite & bap-
tizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi *in remissionem*
peccatorum, Act. 2, v. 38. Paulus de Anania se alloquente: Et
nunc quid cunctaris? Exurge, & baptizare, & abluere peccata tua,
invocato nomine Domini *Act. 22, v. 16.* Reddimur enim per
Baptismum participes beneficiorum, quæ Christus morte & pas-
sione sua promeruit, inter quæ eminent remissio peccatorum, tam
verè nobis propter Christi mortem remittuntur peccata, ac si ipsi
pro peccatis essemus mortui. Quotquot enim baptizati sumus,
in mortem ejus baptizati sumus, Rom. 6, v. 3. collato cum *1. Cor.*
5, v. 14. Sanguis Jesu Christi Filij Dei (qui in Baptismo nobis asper-
gitur) *emundat nos ab omni peccato i. Job. 1, v. 8;* juxta vatici-
nium Ezechielis, *aspergam super vos aquam mundam, & munda-*
bitini ab omnibus immunditiis vestris, Cap. 36, v. 25. & Zacha-
riæ: *In illo tempore erit fons patens domui Davidis, & civibus*
in Hierusalem contra peccata & immunditiam, Cap. 13, v. 1.

3. fœdus gratiæ concilian-
do.

XLII. 3. Est efficax medium quo fœdus gratiæ Deus nobiscum erigit. Hoc sensu à Petro removetur Baptismus esse ablutio- nem sordium carnis, & e contra ponitur esse ἐπερωτήματα συνειδή- σεως ἀγαθῆς interrogationem seu stipulationem bonæ consci- entię. Vox enim ἐπερωτήματα ut supra in Analyti diximus, si- gnificat interrogationem & responsum in fœderibus usita- tam, quemadmodum in fœderibus & contractibus pars una in- terrogat, altera respondet, utraque stipulatur: ita conscientia nostra ex fœdere in Baptismo nobiscum inito, responsum accipit de certitudine gratiæ divinæ, cujus fundamentum consistit in Resurrectione Christi. Præfiguratum hoc fuit in fœdere quod statuit Dominus cum Noaho arcam ingredi iussu, Gen. 6, v. 18. Huic antitypon nos salvat bonæ conscientię interrogatio apud Deum, 1. Pet. 3, v. 21. Vi hujus fœderis adoptamur in Filios Dei Lev. 26, v. 11. omnes filij Dei sumus, nam quicumque baptizati su- mus, Christum induimus. Gal. 3, v. 26, 27.

4. salutem donando.

LXIII. 4. Est efficax medium, quo salus & vita æterna nobis donatur, quod testantur perspicua Scripturæ oracula, quæ simul atque præsens textus expressam salutis mentionem faciunt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Mar. 16, v. 16. Qui re- natus fuerit ex aqua & Spiritu, potest introire regnum Dei, ex Job. 3, v. 5. Secundum misericordiam suam salvos nos facit per lava- crum regenerationis & renovationis S. S. Tit. 3, v. 5. Conservamur in Baptismo ad vitam æternam à diluvio iræ divinæ, non aliter atque octo illæ animæ à diluvio universali ad vitam corporalem. Gen. 8, v. 18. Hujus egregium documentum est apertio cœlorum facta in Baptismo Christi, Matth. 3, v. 16. Luc. 3, v. 21. quæ in nostro etiam Baptismo clausas cœli fores aperiri, nosq; filios gratiæ & hæredes vitæ æternæ fieri, significat.

XLIV. Itaq; pro sententia nostra argumentor hunc in modū:

Quodcumq; facit, ut à peccatorum diluvio emergamus, à sordi- bus peccatorum abluamur, in fœdus gratiæ cum Deo recipiamur, in filios adoptemur, & ex regno atq; potestate Satane liberati cum Christo coram Deo mundati appareamus, illud est efficax salutis nostræ medium.

Baptismus hoc facit, ut fuit ostensum.

Ergo Baptismus est efficax salutis nostræ medium.

XLV. Hoc

XLV. Hoc omne Baptismo tribuitur instrumentaliter, quatenus ad id divinitus est ordinatus, sic enim Baptisma servat, quatenus est instrumentum Spiritus Sancti verbo Christi omnipotente armatum. Nihil prorsus tribuimus aquæ per se quando medium regenerationis & salutis Baptismum esse dicimus, sed omnia in solidum DEO, qui mediante hac aquâ, juxta dispositionem suam hoc opus gratiæ in nobis operatur. Eodem modo quo verbum est semen illud incorruptibile, ex quo renascimur, & quod potest salvas reddere animas nostras, *Jac. 1, v. 18. 21.* ita & S. Baptismus, quem Christus verbis illis *Job. 3, v. 5.* pro ordinario medio habet apud omnes, qui caro de carne nati sunt.

Baptismus est causa Instrumentalis horum effectuum.

XLVI. Primarius autor horum effectuum salutarium est tota SS. Trinitas, DEUS Pater, qui secundum suam misericordiam salvos nos facit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, *Ti. 3, v. 5.* DEUS Filius, qui nos sanctificat, mundat, lavacro aquæ per verbum, *Eph. 5, v. 26.* qui veste justitiæ suæ reliquias peccatorum nostrorum contegit, *Rom. 6, v. 4. 5. seqq.* Cujus Sanguis (in Baptismo) nos emundat ab omni peccato, *1. Job. 1, v. 7.* & Spiritus Sanctus, qui nos regenerat & renovat ad vitam æternam, & de pace cum DEO inita certos reddit. *Job. 3, v. 5. 2. Cor. 1, v. 22. Eph. 1, v. 14.* Ex quo sequitur, idolatriæ esse crimen, si ea, quæ propria sunt Gratia Patris, efficaciam Spiritus & meriti Filij DEI, DEO adimere, & ad habitualem quandam Elementi vim extendere velimus. quod Paptistæ faciunt. *DEUS salvans non est præter me, Ego sum & non alius, Esa. 45.* ita potius de Sacramenti hujus efficacia & virtute disputandum est, ut DEO nihil adimatur, nihil adjungatur tanquam causa adjuvans & partialis, in qua extra seu præter meritum Christi, misericordiam Patris & efficaciam Spiritus Sancti quærenda sit gratia ad salutem. Non enim Sacramenta tanquam organa sunt exæquanda cum efficiente principali Spiritu Sancto, ut pari & eadem ratione credantur conferre gratiam, sicut ipse Spiritus Sanctus.

Principalis & S. Trinitas.

XLVII. Organum tamen, instrumentum & medium efficax, per quod SS. Trinitas efficaciam suam exercet ad salutem omni credenti, Baptismus optimo jure appellari potest.

Divina virtus per Sacramenta operatur.

Siquidem

dem DEUS beneficia hæc non immediatè sine ordinario aliquo medio, sed partim per verbum, tanquam medium offerens promissionem de gratuita Remissione peccatorū, justitia & vita æterna, *Es. 55, v. 10. Rom. 1. v. 10. 1. Tim. 4, v. 16. Heb. 4, 12.* partim per Sacramenta, quibus oculis id quodammodo subjicitur, quod auribus per verbum annunciatur, & in specie per aquam Baptismi verbo DEI sanctificatam, munitam & comprehensam, quæ medium est & organum proponens, offerens, exhibens distribuens & applicans meritum Christi & gratiam DEI ad salutem omni credenti. Hinc Scriptura utrumque affirmat, & Baptismum salvos facere, ut præsentis loco, *1. Pet. 3.* & DEUM salvare per lavacrum regenerat. *Tit. 3, 5.* It. quod Baptismus abluit peccata *Act. 22.* & Christus mundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo, *Eph. 5.* Ille per modum causæ instrumentalis, hic vero Principalis.

Ad salutem Baptismi efficaciam requiritur Fides.

XLVII. Et hoc est medium salutis ex parte DEI, ex parte nostra requiritur fides. Ut enim quisquam horum beneficiorum particeps reddatur, fidem illi necessariam esse statuimus, ita quidem ut absque fide salus ex Baptismo non sit speranda, testante Christo, *qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Fides nos producit in participationem beneficiorum per Christi passionem meritorum, & in Baptismo exhibitorum, *Consepulti estis (inquit Paulus) cum illo (Christo) per Baptismum, in quo simul etiam cum illo resurrexistis per fidem operationis DEI, qui excitavit illum ex mortuis Col. 2, v. 12.* Fides & Baptismus conjungenda: *Accedamus cum vero corde in certitudine fidei, aspersi cordibus ac depulsa conscientia mala, & abluti corpore aqua pura. Heb. 10, v. 22.* Est enim (verba sunt Chemnitij par. 3. *Ex Conc. Trid.*) quasi una DEI manus, quæ per verbum & Sacramenta in verbo offert, exhibet, applicat & obsignat erudentibus beneficia redemptionis. Altera est quasi nostra manus, quod fide scilicet petimus, quærimus, apprehendimus & accipimus ea, quæ DEUS nobis per verbum & Sacramenta offert & exhibet. Neque enim talis est Sacramentorum efficacia, quasi DEUS per illa infundat & imprimat gratiam & salutem, etiam non credentibus seu fide accipientibus, sicut quidam

dam opinati fuerunt, etiam vetustis temporibus Sed sicut de verbo Paulus dicit: Evangelium est potentia DEI ad salutem omni credenti. Et Hebr. 4. non profuit illis sermo non admixtus fidei: ita de Sacramentis, quia sunt verba visibilia & signa promissionis Christus dicit: qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.

XLIX. Exinde causa peti potest, quare non omnes baptizati salventur, etiam si Baptismus sit organum efficax regenerationis & salutis, nimirum latens in adultis incredulitas, quæ Efficaciam hujus Sacramenti, quam ex parte DEI habet, impedit, & inefficacem reddit.

L. Veritatem hanc impugnant hostes quamplurimi, inter quos facile agmen ducunt Calviniani, quibus Baptismus non est efficax medium salutis, & gratiæ divinæ vehiculum, sed nudum duntaxat ejus signum & Symbolum. Quæ illorum sententia cum firmiter destruat presentem dicto Petrino, ad illud reverterentur hoc modo: *Id quod à Petro scribitur, quod Baptisma nos salvos facit, esse in hunc sensum intelligendum, ut sit symbolum nostræ purgationis ac documentum, vel (quo melius suam sententiam sibi explicare videntur) instar signati cujusdam diplomatis à Domino mittitur, quo nobis confirmet, peccata nostra omnia sic deleta, inducta & obliterata esse, ne unquam in conspectum suum veniant, ne commemorentur, ne imputentur. Non enim significare voluit, abluitionem & salutem nostram aqua perfici, aut aquam regenerandi virtutem in se continere, neque hic salutis causam, sed duntaxat talium donorum cognitionem & certitudinem in hoc Sacramento percipi, quod verbis ipsis satis evidenter explicatur. Nam subdit continuo Petrus, Baptisma illud non esse depositionem sordium carnis sed conscientiam bonam apud DEUM, quæ ex fide est. Imò non aliam purificationem nobis Baptismus pollicetur, quam per aspersionem sanguinis Christi, per qui aquam propter mundandi abluendi, similitudinem figuratur. Ita verò excipit ad hunc locum Calvinus Inst. r. cap. 17, num. 1. & 2. Eodem modo Ursinus in Compendio: *Improprie seu figurate loquendi forme sunt, Baptismus est lavacrum regenerationis, Baptismus nos salvat. Propria loquendi forma est, quod sit signum abluitionis.**

*Exceptio
Calvini-
ano-
rum, quod sit
signum salu-
tis & rege-
nerationis.*

D

LI. Resp.

L I. Resp. 1. apertis quasi tibiis huic analogiæ Sacramentali
reclamat Divus Petrus loco præsentis *1. Pet. 3, v. 21*, ubi negat,
quod aquæ in Baptismo officium sit abluere sordes corporis. Et
tamen Calviniani nescio quâ dementiâ cæpi scribere non ve-
rentur: Sicut aqua vim habet abluendi sordes corporis: ita San-
guis Christi habet vim abluendi sordes animæ. 2. Quodcunq;
convenit omni aquæ, non est officium Sacramentale aquæ Ba-
ptismi. Atqui significare abluitionem sordium spiritualium con-
venit omni aquæ. Ergo non est officium aquæ Sacramentale.
3. Quod nos ita servat, ut arca Noachum & qui cum ipso erant
in diluvio, illud non significativè, sed effectivè (*ὁ βαπτισμὸς τamen,*
sicut 1. Tim. 4, v. 16. Minister Ecclesie seipsum & Auditores salvare
dicitur) hoc facit. Baptismus ita nos salvat, *1. Pet. 3, v. 21*. 4. Aut
omnes phrasæ in Scriptura de Baptismo aliter erunt interpre-
tandæ, aut concedendum quod Baptismus conferat regenera-
tionem & salutem. Prius dici nequit, quia 1. pugnaret contra
Regulam interpretationis, quod à *ῥητὸν* non sit discedendum, nisi
impingat in articulum fidei. 2. Quia hac ratione omnia Scri-
pturæ dicta κατὰ ῥητὸν accepta, essent falsa vel dubia saltem.
3. Quia nusquam effectus Baptismi esset proprijs verbis proposi-
tus. Ergo manet postecius. Connexionem probo: quia om-
nes ad classem non adjunctorum significantium, sed causa-
rum instrumentalium conferentium pertinent. *Tit. 3, 5. 1. Pet. 3,*
v. 21. Joh. 3, v. 5. Zachar. 13, v. 1. Marc 16, v 16. Gal. 3, v. 26. Rom.
6, v. 3. Act. 2, 38. c. 22, v. 18. Eph. 5, v. 22.

PROPOSITIO TERTIA:

Baptismi efficacia se extendit ad futurum.

Pontificiorū
sententia de
duratione ef-
ficacia Ba-
ptismi.

L II. Efficacia Baptismi quæ sit, dictum fuit hætenus. De-
ferimur nunc ad controversiam de termino durationis, quæ no-
bis cum Pontificijs intercedit, quousque Efficacia Baptismi se ex-
tendat? Pontificiorum hæc est sententia, quod gratia Baptismi
valeat tantum ad remissionem peccatorum præteritorum, vel
quæ Baptismi tempus in homine invenit, ita ut si post Bap-
tismum, aliquis in peccatum labatur, etiamsi poenitentiam agat, &
vera:

vera fide ad promissionem gratiæ & reconciliationis propter meritum Christi in Baptismo sibi oblatam, datam communicatam, apprehensam & obfignatam redeat, nihil tamen amplius ad reconciliationem sibi profit gratia promissionis Baptismi: sed quia per subsequentes lapsus gratia Baptismi ita sit amissa, ut fracta & illisa profus exciderit & irrita facta sit etiam si seria pœnitentia per veram fidem peccator ad fœdus illud revertatur, quod in Baptismo DEUS nobiscum pepigit, ideò in pœnitentiâ de peccatis post Baptismum commissis fidem quærere debere expiationem & reconciliationem, non in gratia illius promissionis, quæ in Baptismo nobis oblata, communicata & obfignata est, sed alia circumspectanda, quærenda & tentanda esse media, per quæ consequamur gratiam reconciliationem & remissionem peccatorum.

LIII. Nos è contrario creditus & certus sumus, nos habere & aditum & reditum ad beneficia Evangelij, qui in ejus communionem per Baptismum collocati sumus: hoc est, statuimus virtutem, Efficaciam & operationem Baptismi per totam hominis Christiani vitam durare & valere. Non quidem eo sensu, ac si nemo per quæcunque peccata possit amittere gratiam Baptismi; Dicimus enim, si illi, qui per Baptismum regenerati & in fœdus gratiæ recepti fuerint, admittunt actiones contra conscientiam, ipsos unâ cum fide à se excutere gratiam & Spiritum Sanctum. Neque illis, qui post Baptismum in sceleribus sine pœnitentiâ perseverant & pergunt, si tantum perfunctoriè & historicè recordentur, se aliquando baptizatos esse, tali recordatione peccata dimitti dicimus, & quidem sola recordatione, ut non opus sit pœnitentiâ & ministerio clavium: sed vera & seria pœnitentiâ requiratur, cujus beneficio Efficacia Baptismi ita se perpetuat, ut Baptismi sequenti pia recordatione & applicatione in vita & morte adversus commissa delicta se consolari & ad gratiam DEI recurrere possit homo cum maximo fructu.

LIV. Fundamenta huic nostræ assertioni de tanto Baptismi effectu, satis firma præbet oraculum Petrinum.

D 2.

Nostra sententia proponitur, quod Baptismus ad futurum se extendat.

Probat ex textu.

1. quia Petrus loquitur in presenti.

Primò quidem, quando de virtute & efficacia Buptismi loquitur in præfenti, v. 21. Baptismus *ἡμᾶς ἰὺν σώζει*, nos salvat, quo ipso ostendit, Baptismi efficaciam non esse momentaneam, seu restringendam ad illud temporis momentum, in quo baptizamur, sed per totam vitam & usque ad salutis *σωτηρίας* complementum se extendere, etiam in his, qui aliquando per peccata foedus in Baptismo initum violarunt, & gratiam Dei excusserunt, modo resipiscant per veram poenitentiam & vera fide recordentur Baptismi jam dudum suscepti. Argumentor:

Quocumq; se erigere possunt peccatores, & salutem sibi polliceri, illius efficacia non est momentanea, sed durat omni tempore.

Baptismo se erigere possunt peccatores & salutem sibi polliceri.

Ergo ejus efficacia non est momentanea, sed durat omni tempore.

L V. Minor probatur 1. ex connexionione: *Ὁ ἀντίτυπον ἡμᾶς σώζει βαπτισμα*: Quemadmodum Nocha per arcam servatus est non solum à præfenti periculo aquæ, sed eidem quoq; ab ingressu arcæ stipularus est DEUS, sese nunquam porro immisurum esse orbi diluvium Gen. 8. v. 21. c. 9, 8. seqq. ita per Baptismum eripit nos DEUS non solum ex præfenti inundatione, sed stipulatur etiam futuram gratiam: Quæ omnia ad latitudinem Antitypi pertinent 2. Exemplo ipsius Petri hoc loco, qui etiam si gravissimè lapsus abnegando Dominum suum tribus vocibus, Matth. 26, v. 71. 72. 74. sese tamen includit, quando de efficacia Baptismi ait, *nos salvos facit*, & sibi ob Baptismum jam pridem susceptum, nunc vero post lapsum vera fide in memoriam revocatum, salutem promittit. Hinc (3.) Spiritus Dei instanter urget, ut qui post susceptum Baptismum luctaturi sunt contra peccata, fœdere isto, sive *ἐπερωθήματα*, quod Deus cum ipsis in Baptismo pepigit, se sustentent, adeo ut si peccent, contra peccatum admissum baptismali fœdere se solentur. Exemplum illustre est Corinthiorum, quos multis & gravioribus peccatis contaminatos Apostolus consolaturus ad Baptismum remittit, non quidem ut illum iterent, sed ut fœdere quod initio initum fuit cum Deo se erigant, dicens: *abluti estis*, sc. in Baptismo, 1. Cor. 6, v. 11. *In uno Spiritu, in unum corpus baptizati sumus*, 1. Cor. 12, v. 13. Eodem modo Galatas

Galatas haud leviter lapsos iidem ex Baptismo deducta consolatione Paulus erigit, *Quotquot baptizati estis, Christum induistis, Gal. 3, v. 27. Similiter Colossenses cap. 2. v. 12. seqq.*

LVI. Nec defunt alia Exempla quibus idem confirmatur. Refertur ex Selneccero de nobili quadam matrona, quod gravissimis Satanae tentationibus oppugnata Baptismi administrationem intuita, non mediocrem consolationem ex eo perceperit, quod eodem modo se in infanti aetate baptizatam, inq; foedus gratiae receptam edocta fuerat. Fridericus Barbarossa Imperator in flumine, cum inde emerisus esset, ante extremum vitae halitum commonefecit se fluminis Baptismi sui. Et Albertus Saxo Princeps summam consolationem adversus Diaboli ludibria esse dixit Baptismi sui recordationem. Eleganter hac de re scribit Neander in *Theol. Christ. Cap. de Bapt.* In omni lapsu, in omni tentatione, in ipso mortis articulo, nulla est alia consolatio recordatione Baptismi efficacior. Et qui ad multam senectam pervenerit, etiam sanctissimus, doctissimus & maximus quisque cum moriendum est, cogitur retrocere usq; ad horam Baptismi, & rursus talis recens natus infans fieri & oblivisci praeteritum omnium, aut non potest intrare in regnum Dei.

LVII. Et de Baptismi perpetuitate quis dubitaret? cum constet fideles Israëlitae ex Circumcisione, hoc est foedere Dei, in quod per Circumcisionem recepti fuerunt, efficaces consolationes in V. T. petisse, ut testantur exempla Jonathae & Davidis, *1. Sam. 14, v. 6. 1. Sam 16, v. 26.* Ergo etiam fideles Christiani ex Baptismo seu foedere Dei, in quod per Baptismum recepti sunt, efficaces consolationes petere possunt.

LVIII. Deinde ex hoc loco confirmatur nostra sententia, quia Baptismus ab Apostolo appellatur *ἐπερώτημα ἀγαθῆς συνείδητος*, interrogatio bonae conscientiae, ex quo colligere licet, Baptismum esse perpetuum testimonium, qui conscientiae nostrae interroganti responderet quod simus in gratia Dei propter Christum. Oblignat enim foedus gratiae & promissionem salutis ut baptizati certi simus divinae erga nos voluntatis benevolae & fiducialiter possimus DEUM precibus nostris compellere clamantes Abba Pater, *Rom. 8, v. 15. Gal, 4, v. 16.* Quam interpretationem loci

D 3

Petrinis

*Confirmatur
aliis exemplis.*

2. Quia vocatur ἐπερώτημα ἑσ.

Petrini, Lorinus Jesuita his ipsis dictis parallelis corroborat, in Commentario h. l. Quoties itaque conscientia nostra peccatorum multitudine onerata quarit; An DEUM habeat propitium? Responsum accipit à Baptismo, quomodo Deus erga baptizatum affectus sit, & quod ejusmodi homo de foedere gratiæ Dei semel per Baptismum inito nullus dubitare debeat certiozem reddidit, sicut olim in V. T. Israëlita in tabernaculo foederis interrogabant os Domini ut de ejus voluntate certi redderentur. Tribuit hoc expressè Baptismo Apostolus Johannes, quando *cap. 5. prioris Epistola v. 8. unà cum Spiritu & sanguine aquam* (Baptismi putà) *in terris testificari asserit, & Petrus hoc loco quando vocat ἐπερωτήματα &c.* Ex quo argumentor:

Quodcumq; per naturam suam perpetuò testatur de gratia Dei & remissione peccatorum, illius efficacia non est momentanea, sed longius se extendit.

Baptismus per naturam suam perpetuò testatur de gratia Dei & Remissione peccatorum.

Ergo ejus efficacia non est momentanea, sed longius se extendit.

LIX. Præterquam quod minor testimonio Petri & Johannis jam probata est, ex abundantia adducimus illa Scripturæ dicta, quibus Dei pacta seu foedera perpetua esse dicuntur, qualia sunt *Gen. 17, v. 7. Exod. 6, v. 5. Lev. 26, v. 9. & 44. Es. 45, v. 10.* Hæc & similia divinarum literarum dicta solide evincunt foederis divini perpetuitatem, ut nec incredulitate & peccatis dissolvi & frangi possit, sed poenitentibus rata sint & firma. *Num Incredulitas hominum fidem Dei evacuabit? Absit Rom. 3, v. 3. Sine poenitentia sunt dona & vocatio Dei, Rom. 11, v. 29. Si non credimus, ille fidelis manet, seipsum negare non potest, 2. Tim. 2, v. 13.* Unde Deus ipse jubet homines lapsos ad pactum cum illis initum per veram poenitentiam reverti, *Jer. 3, v. 12.*

Bellarmini
νενοφύετα
v. Petrum non
comparare
Baptismum
cum peccatis,
sed tempus
Christi cum
tempore Noë.

LX. Contra hæc Pontificij inveniunt quæ regerant. Excipiunt enim ad primum argumentum th. LIV. prolatum, verba Petrina salvos facit baptisma, non esse ad rem. *Nam Petrus cum de tempore presenti loquitur, non comparat Baptismum cum peccatis, sed tempus Christi cum tempore Noë ac dicit: quod sicut tempore Noë diluvium salvos fecit octo homines per arcam, ita nunc tempore Christi*

Christi salvare Baptismum credentes. Ita Bell. tom. 3. l. 1. c. 18.
Resp. Unius inclusio non est alterius exclusio. Concedimus hanc
esse mentem Apostoli comparationem inter arcam Noë & Bap-
tismum, seu potius inter liberationem tempore diluvij per arcam
factam, & quæ fit per Baptismum instituere: Quia vero depræ-
hendimus Apostolum etiam de tempore præsentis loquentem, ex
Baptismo consolationem pro se, adversus gravissimum peccatum
abnegationis, in quod prolapsus erat petentem, ac seipsum jam
olim baptizatum includentem, cum de Efficacia Baptismi disse-
rit: Tum verò præcipuè Auditoribus suis hoc solatij loco pro-
pinantem, ne desperent sub perpeffione injuriarum, v. 17. quia
& Christus passus fuerit, opprimi tamen non potuerit, ob inha-
bitantem vivificum spiritum v. 8. Et Noë passus fuerit sed
servatus in aquis per aquas, 20. 21. Hanc resurgendi, hanc emer-
gendi vim nobis communicari per Baptismum, vi resurrectionis
Christi, v. 21. & conservatam iri in nobis vi omnipotenti ejus,
qui primus resurrexit, sedens ad Dexteram Dei, & gubernantis
omnia, v. 22. Hæc enim est consolationis capiendæ ratio. Colli-
gimus hinc & urgemus, Baptismi efficaciam minimè restringen-
dam ad momentum illud, quo Baptismus confertur, sed ad to-
tam vitam hominis extendendam esse, præsertim cum non desti-
tuamur fundamentis aliis, ex Scriptura stabiliendæ huic senten-
tiæ inservientibus.

LXI. Ad secundum excipit idem Bellarminus tria i. conque-
ritur de obscuritate loci. *Locus hic præfens (ait) admodum ob-*
scurus est, tamen nihil juvat causam Adversariorum: 2. Petrum
non loqui de testimonio vel pacto Dei, sed conscientia nostra: Ipsi au-
tem (nos intelligit) probare debent, Sacramentum esse sigillum testi-
monij seu pacti Dei. Multum autem interest inter testimonium seu
pactum DEI, & pactum seu testimonium conscientia nostra. 3. S. Pe-
trus non dicit Baptismo obsignari pactum seu testimonium, sed dicit
salvari animas & effici justificationem, ex qua oritur testimonium
bonæ conscientia. Id quod probatur ex illo verbo: Similis forma.
Vult enim Apostolus eo modo nos salvari per aquas Baptismi, quomo-
do per aquas diluvij sanati sunt, qui erant in arca Noë. Porro aqua
diluvij non salvarunt arcam Noë testificando vel obsignando promif-
siones,

2. esse locum
obscurum &
loqui Petrum
de testimonio
conscientia,
non Dei.

siones, sed re ipsa elevando arcam in sublime, ne obrueretur cum ceteris edificiis hujus mundi: Sic igitur & Baptismus nos salvos facit, non ob signando & testificando, sed re ipsa justificando animam, unde sequitur testimonium sive interrogatio conscientie bonae in DEUM.

LXII. Respondeo ad I. Nulla insignis hoc in loco occurrit obscuritas, nisi data opera introducere quis velit. Docet enim, facta collatione temporum Noë, ubi DEUS delectis impiis pius Noahum cum suis servavit, quod Christianos etiam Dominus per Baptismum servet, qui sit stipulatio bonae conscientie in Deum, qua de Dei erga se benevolentia, & de salute sua certi sint, virtute Resurrectionis Christi à mortuis.

Ad II. Resp. Committit Bellarminus fallaciam oppositionis. Opponit enim subordinata & relata, quae tamen simul stare optimo jure possunt & debent, videlicet testimonium seu pactum Dei, & nostrae conscientiae. Utrumque conjunxit Apostolus, quando modum salvandi per Baptismum aquae, ex parte Dei vocat *ἐπιπέμπουσα συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς Θεόν*, quomodo modus salvandi per diluvium aquae, Noë utique, debebat esse indicium divinae erga se benevolentiae. Deinde unà insinuat usum moralem Baptismi, seu officium nostrum, quaerendi scilicet bonam conscientiam coram Deo & hominibus, quod patet ex propositione versus 16. ita solet utrumque usum Baptismi conjungere, qui ex intentione Dei tum ad regenerationem, tum ad sanctificationem tendit. Tit. 3, v. 7. 8. Rom 6, v. 3. 4. seqq. 1. Cor. 6, v. 11. Proinde ex confirmatione conscientiae nostrae per Baptismum rectè inferitur, quod Baptismus sit signaculum divinarum promissionum, & testimonium divinae erga nos voluntatis, id quod ipsa vox interrogationis manifestè demonstrat, esse scilicet in Baptismo interrogationem conscientiae nostrae, & responsionem Dei.

Ad III. Eadem fallacia oppositionis committitur, quando ita ratiocinatur Bellarminus, Baptismus nos à peccatis abluit, justificat & salvat. Ergo non est sigillum divinae erga nos voluntatis: Imò vero utroque munere Baptismus fungitur, non solum nobis offert & applicat divinam gratiam, sed eandem etiam in cordibus nostris ob signat. Salvat nos tanquam Instrumentum
divinum

divinum, & salutem illam obsignat, tanquam sigillum vel signaculum, sicut per circumcisionem Israëlitarum in fœdus DEI fuerunt recepti & per eandem fœdus illud in eis fuit obsignatum, *Genes. 17, v. 7. Rom. 4, v. 11.* Invenimus itaque Comparationem Bellarmi: Quemadmodum arca Noe non solum re ipsa conservavit octo animas in diluvio, sed etiam fuit testimonium & pignus divinæ gratiæ: Ita Baptismus & salvat nos, & est conscientiæ bonæ interrogatio apud DEUM. Concludo Articulum Secundum, & ad ultimum me accingo.

ARTICULUS TERTIUS

Expediens

Ἀναστροφή, seu sententiæ heterodoxæ refutationem.

I. Photinianorum ad Propositionem Primam.

LXIII. De necessitate Baptismi aquæ ita sentiunt Photiniani, quod sine expresso Christi mandato, tantum ab Apostolis ceu externa ceremonia, qua ab Ethnicismo vel Judaismo conversi Christianismum profiterentur, fuerit adhibitus, ideoque eorum sententia de necessitate Baptismi minus necessitatem ad salutem planè negant. Neque enim necessarium agnoscunt *ratione mandati*, utpote quia Christo non præscriptus, sed ab Apostolis liberè assumptus sit, nec *ratione Subjecti*, si quidem non universaliter omnes, sed ij tantum, qui antea in Christum nondum crediderint hoc ritu initiati fuerint; nec *ratione adjuncti temporis*, negant enim ad alia quam Apostolorum tempora Baptismum illum pertinere, atque sic ex ritu perpetuo temporarium faciunt: *Nec ratione adjuncti signi*, siquidem putant aliquem posse esse Christianum licet Baptismum aquæ nunquam susceperit: *Nec deniq; ratione finis*, quia illum necessari-um ad salutem pernegant. Defendunt hoc Catech. Raccov. Ostorod. in instit. German. Imprimis Faustus Socinus cap. 17. de Baptismo.

LXIV. Socinus quidem cum non ignoraret, incursurum esse ipsum omnium Christianorum odium, si Baptismum penitus abrogaret: non urget, penitus antiquandum esse Baptismum. Verba ejus disp. de bapt. aquæ cap. 17. sunt hæc: *Quid igitur, dixerat fortasse quispiam? Num tu alter Navatus esse vis, & aquæ*
E Baptif-

Baptismum abrogare? Minimè gentium. Imò nunquam eos lau-
dare potui, qui sive nostrâ, sive Parentum memoria, hac in re ali-
quid innovare tentarunt. Quoniam igitur passim receptum est, ut
qui Ecclesie annumerari debeant, aqua Baptismo sint tincti, tin-
gantur porro aqua Baptismo omnes, qui pro jam tinctis non habentur.
Nihil enim prohibet quo minus id fieri possit, quamvis ut fiat,
præceptum non fuerit. Hæc ille. Sed rotundius adhuc mentem
suam de Baptismo explicat Socinus disp. eadem verbis statim
sequentibus, quæ cum dictis præcedente coincidunt, & prote-
stantiam hanc factò esse contrariam, monstrant. Institutum
nostrum non patitur omnia ea lustrare, quæ pro sententia sua
tuenda proferunt Photiniani, sed ea tantum quæ pro obtinen-
do postremo thesios antecedentis membro adducunt quando
negant, Baptismum ad salutem esse necessarium.

LXV. Producentur collationem locorum *Luc. 3, v. 16. Act.*

1. *Obj. Luc. 3, v. 5. c. 11, v. 16.* ubi scriptum est, *Johannes quidem, baptizavit a-*
v. 16. Act. 1, qua, Christus verò Spiritu Sancto. Exinde apparere dicunt pro-
5. 1. c. 11, v. 16. prium Christianorum esse, non aquâ, sed Spiritu Sancto bapti-
zari, ob eamq; rem ad Christianum hominem sive efficiendum,
sive etiam declarandum aquæ Baptismum non requiri, eumque
ritum tanquam Johannis proprium agnosci debere. Res ipsa ver-
ba arguunt cõtextus illos non esse intelligendos exclusivè sed cu-
mulativè. Non valet itaque consequentia: Christus baptizavit
Spiritu Sancto, Ergo Christianus non opus habet Baptismo
aquæ ad suam salutem. Antecedens enim si exclusivè accipiatur,
quasi Christus tantum Spiritu Sancto baptizaverit, falsum est.
Contrarium enim ex historia Evangelistarum demonstrari po-
test. Debit Christus baptizare Spiritu Sancto cum primis in die
Pentecostes cælitus demisso Spiritu S. super Apostolos, *Act. 1, v.*
5. 8. Præter hunc vero etiam administravit Baptismum aquæ, ut
patet ex *Joh. 3, v. 25.* ibi facta est quæstio ex discipulis Johannis
cum Judæis de purificatione, & venerunt ad Jordanem & dixe-
runt ei, Rabbi: *Qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimoni-*
um perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. &
Joh. 4. v. 1. Ut ergo cognovit Dominus audisse Phariseos, quod
Christus plures discipulos faceret & baptizaret, quam Johannes v.
2. *quan.*

2. *quanquam Jesus ipse non baptizaret, sed discipuli eius.* Dicta hæc de Bapt. aquæ, non Spiritus Sancti esse intelligenda probo 1. quia tùm Christus ita plenè non baptizavit Spiritu S., ut testantur Evangelistæ verba, Joh. 7, v. 38. 39. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aqua viva.* Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum, nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Factum autem est post ascensionem Christi, Act. 2, v. 4. 2. quia in his oraculis Christi Baptismus à Baptismo Johannis discernitur, non nisi in numero discipulorum seu Baptizandorum, qui initio plures ad Johannem veniunt, Math. 3, v. 5. 6. & copiâ visibilium donorum, quod patet ex Act. 19, 4. 6. Nunc itaque vice inversâ plures se conferunt ad Christum. Igitur sicut Johannes, ita tum temporis Christus aqua baptizasse dicendus est. Confer, quod Baptismus aquæ Christo è cælo fuit traditus, Joh. 3, v. 27. quodque ipse commendavit Apostolis, Joh. 3, v. 22. 23. Math. 28, v. 19. 20. Marc. 16, v. 15. 16. Argumentum itaque adversariorum inverto: Si Christus aqua baptizavit, & Christianos suos baptizandos mandavit, sequitur omninò Bapt. aquæ esse necessarium ijs, qui Christiani esse, & regnum DEI introire volunt. At prius est verum. E. & posterius.

LXVI. Secundò objiciunt dictum 1. Cor. 1, v. 17. arguuntur ita: Si Baptismus aquæ esset necessarius ad salutem, utiq; Apostoli missi essent ad baptizandum aqua, non minus atque ad Evangelizandum. Atqui hoc non factum, *Non enim* (inquit Paulus 1. Cor. 1, v. 17.) *misit me Christus, ut baptizarem, sed ut Evangelizarem.* Ergo nec illud! Resp. 1. Negando Minorem quæ apud Apostolum comparativa est, non exclusiva. Habemus namque expressa Salvatoris verba, quibus munus baptizandi injungit Apostolis, Locus Pauli satis ostendit non absolutè sed comparativè esse intelligendum, hoc sensu, quòd Apostolis cura Evangelizationis magis quam baptismationis sit commendata. Baptizarunt omninò Paulus & Apostoli, quod ex antedentibus illius capituli constat. ubi Paulus v. 14. *Gratias ago DEO, quod neminem vestrum baptizarim, nisi CRISPUM & GAZUM.* v. 15. *ne quis dicat, quod in nomine meo baptizaverim.* v. 16. *Baptizavi autem & Ste-*

2. 1. Cor. 1, 17.

E 2

phane

phana saraiiam: Ceterum nescio, si quem alium baptizaverim.
v. 37. Non enim misit me Christus baptizare. Ergo baptizavit ta-
men Paulus, baptizarunt reliqui Apostoli licet hoc non fuerit
principale ipsorum officium. Causa enim cur Apostoli non fu-
erunt missi ad Baptismum administrandum hæc fuit, quia hini-
nores labores per alias subordinatas personas potuerunt expedi-
ri, ipsi verò prædicationem verbi promovere debebant, sicut
testatur Exemplum Petri, *Act. 10, v. 48.* Non aliter atque mini-
stratio mensarum ab Apostolis hæcenus curata, deinceps se-
ptem Diaconis committebatur, ne prædicationis verbi delinqueretur
aut impediretur, *Act. 6, v. 3.* 2. posito (nequaquam tamen
concesso) quod Paulus non fuerit missus ad baptizandum, nul-
la tamen esset consequentia exinde argumentari velle ad reli-
quos Apostolos & totum Ecclesiæ statum: Paulus non fuit
principaliter missus, ut ipse suis manibus suaq; persona baptiza-
ret conversos. Ergo non Apostolis neque ullis alijs ministris
partes aquæ baptizandi fuerunt commissæ, Ergo Baptismus aquæ
non est necessarius ad salutem. Potuit enim peculiare aliquid
agere Christus cum Paulo extraordinariè vocato, quod non es-
set extendendum ad cæteros Apostolos & totam Ecclesiam.

LXVII. Tertio Confirmationi suæ sententiæ inservire
putant locum præsentem petrinum *1 Pet. 3, v. 21.* aquæ fi-
guræ nunc respondens Baptismus (non carnis depositio sordium:
sed conscientia bonæ interrogatio in DEUM) nos salvos facit.
Dicunt non ad eum modum locuturum fuisse Petrum, si aquæ Ba-
ptismus omnibus suscipiendus esset, sed vel eo modo, ut diceret, Ba-
ptismum istum nos servare quidem, sed non tamen quatenus sordes
corporis abluat, aut alia quavis ratione, quæ ritum illum non ita
deprimeret, ac non magnificandum esse indicaret. Resp. r.
grata mente amplectimur, quod vis veritatis Adversarium eo
coegerit, ut concedere necesse habeat, locum hunc de Baptis-
mo aquæ, non autem tribulationum accipiendum esse, quod
ipsum tamen Exceptionibus supra ad hunc locum adductis planè
contrariatur. Nihil vero horum metuendum, quod ipse veretur.
Nihil quod deprimat Baptismum, nihil quod aliquid ipsi adimat,
aut non magnificandū indicet: Cuius salutem hominum tribuitur,
illud

3.
1. Pet. 3, v. 21.

illud minimè deprimitur, omninò autem magnificandum indicatur. Hoc loco Baptismo salus tribuitur. E. 3. Neque enim largimur, nostrum aquæ Baptismum esse depositionem sordium carnis, etiamsi nec dictio Quatenus, nec alia æquipollens in textu legatur. Perinde enim est, sive adsit sive absit vocula Quatenus. Hoc vero probandum Sociuo, nostrum Baptismum esse depositionem sordium carnis. Quamvis enim ex accidente etiam sordes possit abstergere hæc tamen non est ex instituto Dei ejus actio; sed regeneratio, ablutio, confederatio cum DEO, & ἐπερώτημα ἀγαθῆς συνειδήσεως. De quibus hæctenus.

Progredior ad argumenta.

II Calvinianorum.

Ad Propositionem Secundam.

LXVIII. Sententia Calvinianorum nostra, supra Proposit. II. propositæ & confirmatæ, è diametro contrariatur. Illis enim Baptismus non est efficax medium, quo regeneratio, Remissio Peccatorum, in filios Dei adoptio, & salus verè & reipsa conferatur, sed saltem signum & symbolum regenerationis, idq; non nisi in electis. Calvinus aquæ baptismatis purgandi, regenerandi & renovandi virtutem denegat, neq; salutis causam in hoc Sacramento percipi asserit, *Instit. c. 17. num. 2.* Aquam Baptismi ad peccatorum ablutionem nihil facere, statuit Cinglius in *Confess.* Martyr in *Locis Comm.* graviter hallucinatum Augustinum arbitrat, dum non agnovit aquam esse externum regenerationis Symbolum, sed voluit ipsa tingendi actione nos regenerari & adoptari atq; in familiam Christi transire, &c.

LXIX. Antequam ipsorum argumenta videamus, monendum nos non omnem omninò significationem è Baptismo eliminare, quando signum & symbolum illum esse negamus, siquidem moralem significationem Scripturæ consentaneam admittimus. Sic dicimus cum B. Luthero Baptismum significare, quod vetus Adam debeat subinde per mortificationem & poenitentiam in nobis submergi & extingui cum omnibus peccatis & malis concupiscentiis, a que rursus quotidie emergere ac resurgere novus homo, qui in sanctitate & justitia coram DEO vivat in æternum.

E 3

æternum.

Sententia Calvinianorum, quod Baptismus sit signum.

Non omnium significatio rejicitur.

æternum. Idque præeunte Paulo, Rom. 6, v. 4. *Quotquot in Christi-
sum Jesum baptizati sunt, in mortem ejus baptizati sunt. v. 5. Sepul-
ti igitur sumus unà cum Christo per Baptismum in mortem, ut quem-
admodum Christus excitatus est ex mortuis per gloriam Patris, ita
& nos in novitate vite ambulemus. Col. 2, v. 12. Consepulti sumus
Christo in Baptismo.* Hoc vero est quod negamus, sacrum Ba-
ptismi lavacrum propriè ac principaliter propter significationem
esse institutum, vel totam Substantiam & Efficaciam Baptismi in
illo consistere: Siquidem minus principaliter & secundario Ba-
ptismus ad has commonefactiones & significationes respicit.
Propriè vero & principaliter est efficax medium regenerationis
ad vitam & salutem æternam ex institutione divina, nequaquam
vero nudum istius beneficii signum.

1. Object.

1. Pet 3, v. 21.

LXX. Calviniani, quò posterius hoc obtineant 1. ex textu
nostro tale producant argumentum: *Infantes non servantur per
Baptismum quo carnis sordes abjiciuntur, teste Petro 1. Pet. 3 v. 21.
Ergo nec per Baptismum regenerantur.* Connexionis ratio est,
Quod non habet vim servandi, non habet vim regenerandi. Resp.
Negando Minorem. Concedimus, quòd per eum Baptismum
quo corporis sordes abjiciuntur non servantur baptizati: Nega-
mus vero Baptismum, de quo Petrus hoc loco loquitur talem
esse. Verba enim hæc, *non quo corporis sordes abjiciuntur*, sunt
exegetica, ostendentes de quonam Baptismo Petrus hoc loco
non velit intelligi. Et rursus de quali loquatur, videlicet de ejus-
modi, quòd plus quam balneum commune præstare queat, quòd
sit *ἐπιερωτήρια ἀναψυξις συνειδήσεως*, ac proin tale medium, per
quòd sordes peccati spirituales abjiciantur. Invertimus ergo ar-
gumentum: Quòdcunque est medium spiritualis mundationis
à sordibus peccati, illud homines regenerat & salvat. Baptismus
est tale medium. Ergo.

2.
Quia Bapti-
smus non
omnes rege-
nerat & sal-
vat.

LXXI. Opponunt 2. *Regenerationis & salutis medium omnes
debet regenerare & salvare. Baptismus non omnes regenerat & sal-
vat.* Ergo. Minor probatur exemplo Simonis Magi. Act. 8, v. 13.
& omnium hypocritarum. Resp. 1. à remotione actus secundi ali-
quo objecti vitio impediti, non sequitur remotio actus primi.
Sic verbum DEI non efficit in omnibus fidem & salutem, & ta-
men

men est ac manet salutare medium, per quod DEUS fidem & salutem operatur *Rom. 1, v. 16 Eph. 1, v. 13.* Eodem modo Baptismus non desinit esse lavacrum regenerationis & salutis, quamvis non regeneret & salvet impios & hypocritas. 2. Disting. inter Infantes & adultos. Adulti possunt obicem ponere Spiritui Sancto, & sic opus regenerationis & salutarem Spiritus Sancti operationem impedire, quod tamen facere infantes non possunt, qui actuali impoenitentia & incredulitate Spiritui Sancto non resistunt, nec hypocryseas periculo sunt obnoxij, ideoque per Baptismum fides & salus indubitato illis confertur.

LXXII, Respondent ad hoc posterius Calviniani, nominatim Wendelinus (lib. 1. *Christ. Theol. cap. 22.*) tria. *Si propterea non regenerantur adulti, quia obicem ponunt Spiritus Sancti operationi, sequeretur vel (1) nullos adultos regenerari, vel (2) efficaciorum esse adultorum pravitatem actualem, quam Spir. S. regenerantis gratiam & ἐνέπρεια: vel (3) omnes qui regenerantur, ita esse comparatos natura, ut sine pugna Spiritui Sancto se submittant, quod est Pelagianismum sapere.*

Resp. ad I. Adversarius sumit, quod ipsi nondum est concessum, videlicet: omnes homines parem obicem ponere Spiritui Sancto, quia omnes pravitatem actualem habent à natura inherentem. Verum distinguendum inter pravitatem naturalem insitam omnibus, & proæreticam seu meditatam, quæ quibusdam tantum inest. Prior non impedit quo minus Spiritus Sanctus opus suum in hominibus perficiat, sed duntaxat posterior quod patet ex collatione dictorum *1. Cor. 2, 14. Ezech. 11, 19. c. 18, 31. cap. 12, 2. & c.*

Ad II. Quod absurdum ille arbitratur (efficaciorem esse interdum pravitatem adultorum, quam Spiritus Sancti ἐνέπρεια ad conversionem) nobis tale non est. Nam Spiritus S. in conversione & regeneratione non certat cum homine, eum per absolutam suam potentiam debellando, secundum quam est omnipotentissimus, *Psal. 115, v. 2.* sed per ordinaria vocationis media, quæ qui repudiant, vel ijs obstacula voluntaria ponunt, illi Spiritui Sancto resistunt & regenerationis expertes manent. *Prov. 1, 24. 25.* Exempla sunt, *Matth. 23, v. 38. Act. 7, v. 51. & c.*

Ad

3.
ab Exemplo
Apostolorum.

Ad III. Quod ex nostra sententia deducit (quod hac ratione omnes Spiritui Sancto sine pugna sese submittant) nequam sequitur, sed illud modo, quosdam non ponere obicem per voluntariam obstinationem, neque pertinaciter & per hypocrisin Spiritui Sancto resistere.

LXXIII. Objiciunt 3. quod Apostoli olim non baptizarent nisi eos, qui jam actu erant fideles, vel ex judicio charitatis pro verè fidelibus habebantur. Argumentum est tale. *Quicumque sunt ante renati, ipsorum Baptismus non fuit organon, quo Spiritus S. fidem & regenerationem in baptizatis inchoavit, & proinde tale organon nec jam est. Omnes, quos Apostoli baptizarent antea fuerunt renati.* Ergo. Probatur Minor 1. Exemplis Lydiae Cornelij, Eunuchi &c. de quibus loquuntur acta Apostolica. 2. expressis Scripturae testimoniis. *Actor. 2, v. 41. qui libenter exceperunt sermonem, baptizati sunt, & cap. 8, v. 12. cum credidissent Philippo Evangelizanti, baptizabantur cum viri tum mulieres, & v. 37. inquit Philippus ad Eunuchum: Si credis ex toto corde licet baptizari.*

LXXIV. Resp. 1. Nego Minorem. Falsum est quod dicitur, Apostolos olim non nisi eos, qui jam ante erant fideles, baptizavisse, cum integras familias baptizarunt, inter quas infantes fuisse nemo negare potest, *Act. 16, v. 15. 16. 1. Cor. 1, v. 16.* perperam igitur argumentantur ab inclusione unius ad exclusionem alterius, Apostoli baptizarunt adultos fideles, Ergo illos solos? 2. Allata Exempla quod attinet, dico ab exemplis quibusdam extraordinariis non est sumenda regula generalis de Efficacia Sacramentorum, illa enim sumi debet ex institutione eorum & ex promissione illis annexa 3. Neque tamen exempla ista quicquam derogant efficaciae Baptismi, etiamsi Cornelius, Lydia, Eunuchus &c. antea fuerant fideles quam baptizabantur, non tamen Baptismus in illis fuit frustraneus, sed fuit organum tam conferendae quam confirmandae gratiae, Conferendae scilicet per appositionem & cumulationem, Confirmandae vero per certificationem. Quomodo typus Baptismi Circumcisio in adultis & proselytis, fidem conceptam & augebat & roborabat, in infantibus autem ordiebatur, conferebat

ferebat & confirmabat. Cum enim gratia quam DEUS in hac vita exhibet non statim sit absoluta & consummata, dicimus ideò Cornelium & cæteros Baptismum recepisse, ut magis magisque DEO conjungerentur, Remissionem Peccatorum seu reconciliationem firmius tenerent, utque inchoata in ipsis beneficia conservarentur, confirmarentur, augerentur & crescerent. In Infantibus verò, de quibus hinc potissimum quaeritur, Baptismus primum & adæquatum, est organon regenerationis.

LXXV. 4. Obj. Baptismus est signum & sigillum fœderis gratiae. 4. Obj. tiosi. Ergo non facit ex non fœderatis fœderatos, seu ex non fidelibus fideles, sed declarat & in gratia fœderis confirmat. An nem cum recedens probatur exemplo Circumcisionis, quæ signum erat Circumcisionis & sigillum fœderis. Atqui Circumcisioni successit Baptismus. Ratio consequentiæ ex consideratione circumcisionis manifesta est. Non enim fœderatos faciebat Circumcisio, sed arguebat, unde post initum fœdus & fidei justitiam Abrahamo data circumcisio Resp. Falsa est hypothesis, quod Sacramenta tantum sint signa σημεῖα, non vero simul μετὰδοτικὰ, quæ de Baptismo profligata est supra th. 51. Circumcisionem quod spectat, nego quod signum duntaxat fuerit fœderis, sed fuit 1. efficax medium atque organum receptionis in fœdus DEI, regenerationis, renovationis, *ὑποθεσίας*, & salutis, prout docent verba institutionis & promissionis, Gen. 17, v. 7. 8. 10. 11. 2. Sigillum justitiæ fidei, quo gratuita promissio de remissione peccatorum, justitia & salute æterna in cordibus circumcisorum fidelium fuit obsignata, Rom. 4, v. 11. Allatum in contrarium exemplum Abrahami particulare est, & extraordinarium, & de illo valet quod ad exempla Cornelij, Lydiae & Eunuchi in N. T. dixi thesi præced. n. e. Quamvis enim is in fœdus gratiæ jam receptus & renatus fuerit, DEUS tamen novo hoc medio gratiam, cujus primitias habuit, plenius per Circumcisionem contulit, applicavit & obsignavit, ut firmius tenuerit & possederit. In posteris autem fuit efficax medium regenerationis & salutis, perinde ut Baptismus in N. T.

F.

Hæc-

Hactenus de sententia Calvinianorum, eorumque argu-
mentis.

III Pontificiorum

Ad Propositionem Tertiam.

Pontificio-
rum sententia
de duratione
Baptismi.

LXXVI. Superest ut Pontificiorum sententiam supra et-
iam th. 52. propositam propriis ipsorum verbis & probationi-
bus videamus. Disputant autem, soli memoriâ & fide susce-
pti Baptismi, non posse dimitti peccata post Baptismum com-
missa, sed necessarium esse poenitentiae Sacramentum, seu Ba-
ptismum tantum prodesse homini ad deletionem peccato-
rum, quibus onustus fuit, quando baptizabatur, nec quic-
quam commodi afferre, ut levetur onere peccatorum, quae
post Baptismum admittuntur. Conc. Trid. Con. X. *Si quis di-
xerit peccata omnia, quae post Baptismum fiunt, solâ recordatio-
ne & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venalia fieri, anathe-
ma sit.* Bellarminus docet, Baptismi efficaciam non se extende-
re ad futurum, sed solum ad praeteritum: remittere enim pecca-
ta antea commissa, & nondum dimissa, id est, ea quae inveni-
unt in homine, quando re ipsa suscipitur. Memoriam autem Bapti-
smi utilem quidem esse ad agendas DEO gratias, & ut sit quasi
frenum ad non peccandum. Sed nullo modo sufficere ad justifi-
cationem. Inde colligit amissam gratiam Baptismi non posse ite-
rum recuperari per Baptismum, sed quaerendum esse aliud reme-
dium magis arduum & difficile, id est Sacramentum poenitentiae,
post quod remanet luenda temporalis poena pro satisfactione, &
inde consequitur utilitas Indulgentiarum, Purgatorij locus &c.
tom. 3. lib. 2. cap. 18.

LXXVII. Quamquam vero faciles demus, quod gratia
in Baptismo collata amitti possit. Rom. 6, v. 14. Act. 8, v. 3 seq.
Quamquam etiam non inviti concedamus, quod qui post su-
septum Baptismum peccant, non nisi per intermediam resi-
piscenciam in gratiam cum DEO redire possint, Matth. 9, v. 13.
Marc. 2, vers. 17. Luc. 24, vers. 47. 2. Pet. 3, vers. 9. Quamquam
denique solâ Baptismi memoriâ non deleantur peccata, ta-
men

men hæc tria nobis certa sunt. *Primum*: Baptismo juvari hominem contra peccata non tantum ante, sed etiam post susceptum Baptismum admittit. *Secundum*: Qui post susceptum Baptismum DEO reconciliantur, magis arduo & difficiliore remedio DEO non reconciliari, quam qui nondum susceperunt Baptismum. *Tertium*: Hos qui post susceptum Baptismum peccant, omnino juvari gratia in Baptismo collata, tanquam remedio adversus desperationem, & incentivo ad capiendam de DEO fiduciam, sectandamque puriorem vitam. Quæ quoniam iustâ diligentia excussimus supra Propos. III. Th. 52. seq. eò nos referimus.

LXXVIII. Argumenta quibus hic pugnat Schola Pontificia studiosè collegit & proposuit Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 13. & lib. 2. de Sacr. c. 18. Nos è plurimis pauca, potiora. Producit 1. locum Heb. 6, vers. 4. & 6. *Impossibile est, qui semel fuerint illuminati, si prolabantur, iterum, renovari ad pœnitentiam.* Ubi Apostolus non vult dicere, non posse lapsos redire ad pœnitentiam ullo modo: iste enim est error Novatianorum, sed vult dicere, non posse renovari ad pœnitentiam, quomodo renovantur qui baptizantur. Patet hoc ex verbis illuminati, renovati & crucifigentes Filium DEI, quæ sunt propria Baptismi, in quo illuminamur & renovamur, & Christi mortem imitamur.

1. Obj.
Heb. 6, v. 4.

Resp. 1. Non loquitur de renovatione ad pœnitentiam per Baptismum, sed de pœnitentia absolutè sic dicta, adeoque agit non de peccato quovis post Baptismum admissio, quod falsissimum esse è textu constat, sed de peccato illo irremissibili, seu voluntaria & malitiosa veritatis abnegatione, quod probat phrasis illa, impossibile renovari ad pœnitentiam, quæ non unam pœnitentiæ speciem excipit, sed universaliter pœnitentiam tollit. Sic ergo non in universum baptizatis auferitur spes pœnitentiæ, sed quibusdam duntaxat, nempe peccantibus in Spiritum Sanctum, quibus eodem sensu Christus abstulit spem veniæ *Matth. 12, v. 31. 32. blasphemia in Spiritum S. non remittitur hominibus, neq; in hoc, neq; in futuro seculo.* Ipse-

que Paulus Heb 10. v 26. *Si volentes peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis, non ultra pro peccatis reliqua est hostia.*
2. Etiam si concedatur agi hoc loco de negatione renovandæ poenitentiae baptismalis (ut Bellarminus loquitur) nihil tamen decederet nostræ sententiæ. Sequeretur enim neminem sic posse regenerari post Baptismum, ut qui baptizantur, id est repetito iterum Baptismo, quod & ipsi dicimus. Neque enim eos, quibus peccata remittuntur ex fiducia Baptismatis accepti de novo baptizari, aut foederis novi alteriusve à foedere Baptismali, participes fieri dicimus, sed vi ejus gratiæ & promissionis, quæ ipsis in Baptismo contestata fuit, obtinent remissionem novorum peccatorum, non novum foedus inveniunt, sed ejusdem foederis beneficium sentiunt cui nomen dederunt, itaque non ut alieni, sed ut domestici.

Instant Pontificij. *Ergo ad minimum repetitur Baptismi efficacia, etiam si aspersionem aque repeti concedere nolimus, quod omnino Apostolus negat.* Resp. minimè vero de novo repetitur Efficacia Baptismi, sed ex parte D E I continuatur, etiam si quo ad sensum peccantium contra conscientiam fuerit intercepta Psal. 5, 15. Nam repetuntur quæ de integro fiunt, quasi penitus intercisæ intermissaque: non solum ex parte objecti, sed Efficientis quoque seu influentis. Continuatur autem quorum ab uno initio continua series est. Sicut ergo per Circumcisionem D E I S cum Israëlitis iniiit foedus perpetuò duraturum, ita quidem ut cum D E I S promittit se circumcisurum Cor Israelitarum, quando resipuerint à peccatis post circumcisionem admissis, Deut. 30, v. 6. eo ipso Circumcisionis vim ad illa etiam peccata sese extendisse, neque aliâ numero circumcissione opus fuisse, manifestò ostendit: ita & Baptismi efficacia continuatur, non repetitur in remissione peccatorum post Baptismum commissorum.

2. Obj.

1. Job. 1, v 9.

LXXIX. Objiciunt 2. 1. Job. 1, v. 9. ubi Apostolus Johannes loquens de remedio peccatorum, quæ baptizati indices committunt, non ait: Si Baptismum ad memoriam revocaverimus; sed, *confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus ut remittat*

remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Ideoque D. Johannes de his, qui post Baptismum lapsi sunt requirit peccatorum confessionem, non vero ad Baptismum eos remittit. Resp. 1. Nihil aliud inde sequitur, quam agnitionem peccatorum esse necessariam ad remissionem peccatorum, quod verum est, tam antè quam post Baptismum. 2. Illa verò confessio peccatorum post Baptismum admissorum, non tam excludit quam includit recordationem devotam Baptismi, teste (1) Paulo Rom. 6, v. 1. 2. 3. seqq. (2) Ipso Johanne, qui eadem Epistola Cap. 2, v. 1. 2. docet peccata illa, per Advocatum quem in Baptismo habemus nobis obligatum & proinde vi Baptismi dudum suscepti remitti, quando inquit: *Filioli, si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem. Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Et v. 27: *Unctio, quam accepistis manet in vobis.* c. 3, 9: *Qui ex DEO natus est, non peccat, quia semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, omni, quatenus ex DEO natus est.*

LXXX. 3. RATIONEM. Nulla aequitas patitur, ut aequè facilem viam habeant ad gratiam DEI, qui peccant ante Baptismum, & qui post Baptismum, cum illi DEUM ignorarent, isti nossent, illi non haberent gratiam isti haberent. Resp. à difficultate remissionis peccatorum in baptizatis, ad negationem ejus absolutam non valet consequentia. Ponatur difficile esse, nego sequi vim Baptismi nullam esse in remissione peccatorum sequutorum. Quamcunque enim difficultatem, quemcunque rigorem sibi quis imaginetur, tamen remissio est, & eadem remissio, quae praemissa in Baptismo. Itaque efficacia ex instituto Dei perseverans. 2. De gratia DEI non est judicandum ex ratione, sed ex voluntate DEI revelata. Non ex ratione; Haec enim ejusmodi maligna dispensatrix est divinae gratiae, & DEUM suo subicit examini. Sic olim murmurabant dicentes; *Isti vix mihi unam horam opus fecerunt, & eos aequales nobis feci isti, qui portavimus pondus diei & aestum.* Matth. 20. Itaque severè coercenda, Annon licet mihi quod volo facere in meis rebus? An oculus tuus malus est, quia ego bonus sum? Spiritus S. autem disertè: *justificati nunc ejus sanguine, servabimur multo-*

Rationem.
ab aequitate.


magis per eum ab irâ illâ. Nam s̄ cum inimici essemus, recon-
ciliati fuimus DEO per mortem Filij ejus: multo magis reconci-
liati servabimur per vitam æternam. Rom. 5, v. 9. 10. 3. Adde:
multos etiam non baptizatos peccare scientes, Rom. 5, v. 32.
& vicissim adultos, qui ante susceptum Baptismum peccarunt,
non minus quam baptizatos per poenitentiam Deo reconciliari.
Act. 2, v. 37. 8.

Conclusio.

LXX XI. & ultima. Nos pro institutione hujus Sacramen-
ti, per quod in foedus gratiæ recipimur, à peccatis mundamur,
regeneramur, renovamur, ac Spiritu S. donati, filij DEI & hæ-
redes vica æterræ scribimur, benignissimo DEO gratias agi-
mus devotas, videntes supplices, in eodem usque ad finem vitæ
nos sanctos & immobiles conservet, ne tantam gratiam abjici-
amus, aut in vacuum accipiamus, sed ut eam per veram in-
Christum sicut nobis constantè applicemus, & per eandem
æternum salvemur, per & propter thronum gratiæ Chri-
stus Jesum, cui cum Patre & Spiritu Sancto
sit laus, honor & gratiarum actio in
secula æternitatis universa,
Amen.



Epi-



Epigramma.

Ingenijis Cygnea suis formosior extat,
Quam cui det similem Misnia clara locum:
Extrudit Cygnos, qui suavia cantica fingant
Ut varient modulis verba diserta pijs.
Et nisi turbaret nidum strepitu invidus Anser;
Compleret Cygnis omnia rura suis.
Laudo duos Fratres STEPNEROS, ardua spreto
Qui strepitu audentes Anseris astra petunt.
Aurea quos genuit quondam docuitq; Patrum Pax
Nunc jugulant doctos barbara Bella viros.

*Prestant Dn. Respo.
scripsit*

M. Martinus Heinsius
Fac. Phil. Adj.

F I N I S.

Epigramma

Epigramma

Epigramma
Cuius in hoc munda
Laudis dies hinc
Qui hinc hinc
Aurea que genit
Nunc hinc hinc

Martinus Schindler

FINIS



05 A 2030

ULB Halle 3
003 785 548



VD17





D. O. M. A. R₂
EFFICACIA
BAPTISMI

Ex I, Pet. 3. v. 20. 21.

Contra

Photinianos, Calvinianos & Pontificios demonstrata

ac

BENEDICENTE ALTISSIMO
In Incluta VVittebergenſium Academia
PRÆSIDE

Viro plurimum Reverendo, Clariffimo & Excellentiffimo,

DN. JOHANNES HÜLSEMANN,
SS. Theol. D. & Professore Publico, Alumnorum Electoral. Inspectore, h. t. Facult. Theol. Decano,
Præceptore ac Promotore suo omni animi
submissione colendo.

Ad placidam collationem proposita

à

M. STEPHANO STEPNERO,
Cygeo.

Habebitur in Auditorio Majori.
die 5. Martii. Horis à 7. matutinis.

WITTEBERGÆ

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.
Anno MDC XXXX,

